Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Zachariæ Grapii SS. Theol. D. Ejusdemqve Prof. Publ. Ordinar. & V.D.M. Theologia Recens Controversa Continuata

Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovi[i], MDCCXI.

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn185775302X

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

190 p
206 p
64 p
126 p

51c.7.

F.g - 1085 1-3.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn185775302X/phys_0002
DFG

Ex Testamento Willebrandriano.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn185775302X/phys_0005
DFG

ZACHARIÆ GRAPII

SS. THEOL. D. EJUSDEMQVE PROF. PUBL. ORDINAR. & V. D. M.

THEOLOGIA RECENS CONTROVERSA CONTINUATA.

Consensu Rev. FCtatis Theol.

ROSTOCHII,
Typis NICOLAI SCHWIEGEROVI, Ampliss. Sen. Typogr.
ANNO MDCCXI.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn185775302X/phys_0007
DFG

NOMINA NOBILISSIMORUM ET CLARISSIMORUM DOMINORUM

Qvi & Respondendo & Opponendo maxime laudabilem suam in hac Parte impenderunt operam forte sic, citra cujusqvam Præjudicium collocatorum!

DISP. I. RESPONDENS.
DN. M. FRIDEM. ANDREAS ZÜLICH, Jenensis.
DISP. II. RESPOND.
DN. FRANCISC. GEORG. WASMUHT, Pentzlin. Megap.
DISP. III. RESPOND.
DN. M. SAMUEL JOACHIM. HOPPIUS, Soltqvella-March.
DISP. IV. RESPOND.
DN. DANIEL WITTE, Hamburgensis.
DISP. V. RESPOND.
DN. FRID. LUDOVIC. de MASCOU, Nobilis Marchic.
DISP. VI. RESPOND.
DN. FRIDERICUS ANDREÆ, Sedino-Pomeranus.
DISP. VII. RESPOND.
DN. CAROLUS LUDOVICUS HOHEISELL, Gedanensis.
DISP. VIII. RESPOND.
DN. JOHANNES FRID. BRACH, Gryphiswald. Pomeran.
DISP. IX. RESPOND.
DN. CHRISTOPH. FRID. MENTZELIUS, Rœdlinens. Megap.
DISP. X. RESPOND.
DN. JOH. CHRISTOPH. SCHERTLING, Par. Megapol.
DISP. XI. RESPOND.
DN. JOHANNES ADAM ARTZBERGER, Gedanensis.
DISP. XII. RESPOND.
DN. JOHANNES ANDREAS HABEL, Gedanensis.
DISP. XIII. RESPOND.
DN. HENRICUS ADOLPHUS MÜLLER, Sülza-Megapol.
DISP XIV. RESPOND.
DN. FRID. VALENTINUS TRAMITZ, Ribnicens. Megap.

(o)

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn185775302X/phys_0008
DFG

זכרה לי אלהי לטובה:

Disp. I.

CAPUT I.

De CREATIONE!

Qværitur I.

NUM IN CONCIPIENDO OPERE CREATIONIS FALSAS VERBOQVE DEI CONTRARIAS HYPOTHESES FINGERE LICEAT?

§. I.



Vando *Renatus Carteſius* Opera Creationis, & qvidem imprimis *materialia* juxta ſuum ordinem vult ſcrutari, eorumqve naturam deſcribere, tum eadem non qvalia jam ſunt, aut qvalia revera à DEO creata: Sed qvo pacto juxta leges naturæ & motus oriri potuerint, conſiderat. Et hunc in finem ſuppoſitiones qvasdam falſas aſſumit. Qvemadmodum prolixius deducit in *Princip. Philoſ. part. 3. n. 44. ſqq. p. m. 63. ſqq.* Hypotheſes has falſas verboqve DEI adverſas fingere non licere ſaltem: ſed & neceſſarium eſſe judicat *Chriſtoph. Wittich. in Theol. Pacif. c. 7. n. 61. p. m. 48.* *Petrus Allinga in Erotemat. Illuſtr. decad. 6. Erot. 6. p. m. 178.* non vult, ut, qvod unus è *Carteſianorum* choro dixit, adſcribatur cunctis, nec qvod ſub variis reſtrictionibus prolatum, illimitate *Carteſio* & *Wittichio* hîc imputetur; ſed potius hoc modo vult inſtitui qvæſtionem: *An ad naturas earum rerum, qvas DEus ſimul creavit intelligendas, non ſit longe melius, qvin neceſſarium ob intellectus humani imbecillitatem conſiderare, qvo pacto paulatim in primâ mundi origine creatæ ſint?* Mox tamen p. 180. & hanc ponit propoſitionem: *Qvæ mea eſt infantia videre neqveo, cur non liceret uti falſâ hypotheſi ad naturas rerum melius intelligendas?* Conf. hic etiam *Burcher. de Volder in Cogitation. Rational. theſ. 19. & 20. p. m. 19. ſqq.* Sed contra *Carteſianos* hic vide

Petr. van Maſtricht in Gangr. Novitat. Carteſ. ſect. poſter. c. 19. n. 2. ſqq. p. m. 240. ſqq. Gerhard. de Vries in Exercitat. Rational. Exerc. 23. n. 10. ſqq. p. m. 184. ſqq.

§. II. Prænotamus nos, non eſſe ſermonem in genere de hypotheſibus qvibusdam per rationem formatis, qvales plurimas in Matheſi dari non diffitemur: Sed ſpeciatim de hypotheſibus in mirando Creationis opere citra vel contra Scripturam formandis. Qvo prænotato dicimus (1) In *maxime mirando Creationis opere concipiendo non licet hypotheſes qvasdam falſas citra vel contra Scripturæ veritatem aſſumere.* Prob. (1.) Qvia creatio qvoad *modum & ordinem* non ex lumine naturæ conſtat; ſed tantum ex lumine revelato. Non ergo hic licet aliqvid fingere, qvod non ex Scripturâ S. conſtat. (2) qvia contra Scripturam hypotheſes qvasdam fingere eſt Scripturam S. vel imperfectionis vel falſitatis arguere. Qvod utrumqve impium eſt. Qvod autem *Carteſii* hypotheſis ſit contra ſcripturam, ſatis patet ex eo, qvod hæc creationem habeat pro opere omnem naturam ac rationem tranſcendente: Illa vero pro opere, qvod juxta naturæ leges utiqve fieri potuerit. Dicimus (II.) *Melius eſt creaturas contemplari, pro uti creatæ ſunt, qvam qvomodo creari potuerint.* Prob. (1) qvia qvomodo creari potuerint nobis ex natura eſt ignotum. (2) Qvia hypotheſis *Carteſii*, ſecundum qvam putat, creari potuiſſe mundum, non ſufficit, nec conceptibus noſtris ſatisfacit. Sic enim qværitur: An non forte adhuc aliter creari potuerit mundus? (3.) qvia in contemplandis creaturis; prout creatæ ſunt, præviam habemus ſcripturam, qvæ fallere neſcit, qvam non itidem habemus in hypotheſi *Carteſii*, ſecundum qvam ſtatuit, creari mundum potuiſſe. (4) qvia immoderata illa curioſitas circa opera DEI miranda & non rimanda merito fugienda eſt.

§. III. *Objic.* (1) Hypotheſes has eum in finem eſſe excogitatas, ut opera divina, qvæ unico actu diſtincte intelligere non poſſumus, per partes ſpectemus. *Reſp.* (1) non ſunt facienda mala, ut inde eveniant bona (2) retineatur ordo operum, qvem Scriptura S. ſuppeditat, ſecundum qvem omnium optime conſiderari poterunt. *Objic.* (II) Et in decretis divinis à Theologis conſtitui ordinem talem, qvi legibus ſapientiæ eſt conformis, non aliter ac ſi ſucceſſive eſſent formata

mata, multo magis ergo id licere in operibus DEI externis *Resp.* (1) si qvis ordine creaturas considerare velit, non improbamus, retineat modo ordinem à Scripturâ S. assertum. (2) si qvis & ita opera DEI externa velit considerare, qvemadmodum Theologi considerant decreta DEI, nec id improbamus. Considerant autem Theologi decreta DEI non juxta ordinem aliqvem fictum, vel hypothesin qvandam falsam; sed secundum ordinem in ipsa Scripturâ S. unice fundatum.

Qv. II.

NUM CREATIO A MOSE RECENSITA JUXTA LEGES MOTUS FUERIT FACTA, ET TANTUM TERRESTRIA RESPICIAT?

§. I.

EX recentioribus vel primus qvondam asseruit *Renatus Cartesius*, juxta leges motus conditum esse mundum, & qvidem in *dissert. de Method. p. 41.* ubi docet, qvod primum chaos, etsi nullam aliam formam DEus ipsi ab initio dedisset, potuisset per leges motus accedente ordinario DEI concursu ad modum ei inditum conservandum ex se solo hoc systema mundi & res pure naturales, qvales nunc videmus, efficere, & producere. *Cartesium* ex Theologis nonnulli secuti sunt, qvi Philosophiam Ejusdem & ad res Theologicas applicare studuerunt vid. *Christoph. Wittich. in Theol. Pacif. n. 67. & in Theol. Pacif. defens. c. 7. n. 88. p. 114. sqq.* Majori cum absurditate eandem hypothesin defendere ac deducere conati sunt nonnulli Neo-Physici & Mathematici, imprimis in *Anglia.* Sic v. g. *Anno 1681. & 89. Londini* prodiit scriptum aliqvod, cujus auctor docente Epistola dedicatoria, est, *Thomas Burnet*, sub titulo: *Telluris Theoria Sacra Orbis nostri originem & mutationes generales, qvas aut jam subiit aut olim subiturus est, complectens*, qvod scriptum *Ann. 1698. M. Jo. Jacob Zimmermann* ex latino in Germanicum idioma translatum *Hamburgi* edidit. Qvi auctor *Cartesium* qvidem in nonnullis refutat, nihilominus tamen & mundi ortum juxta leges motus ordinarias factum esse docet prolixe, imprimis & *lib. 2. cap. 8.* absurde nimis Historiam Creationis Mosaicam explicat, inter alia docens, in mundo Mosaico comprehendi tantum illas naturæ partes, qvæ ex terrestri chao educi potuerunt

runt; non vero etiam mundum Angelicum, neqve hujus mundi partes, & regiones ſuperiores, v. g. ſolem reliqvosqve planetas, ac ſtellas. Hæc enim corpora cœleſtia per ignota ſecula præextitiſſe autumat. Qvomodo ex veteribus nonnulli idem qvoqve ſtatuerint, docet *Dion. Petavius de Dogmatibus Theol. Tom. 3. l. 1. c. 2. n. 1. p. m. 123.* Juxta leges motus creationem qvoqve explicavit Celeberrimus ille Mathematicus in Anglia *Dn. Whiſton* in *Theoriâ telluris novâ.* Pariter & *Edmund Dickinſon in Phyſica veteri & verâ* docet, Philoſophiam Corpuſcularem, qva omnia componuntur ex atomis, Moſis eſſe hypotheſin, atqve ſic juxta leges naturæ & motus totum hunc mundum ita exortum eſſe. Prolixius etiam hæc omnia deducta ſunt in *Dethlev Cluveri Geologia Hamburg Ann. 1700. edit.* Huic autem Hypotheſi cum apere Hiſtoria Moſis contrarietur, hinc modo aliud abſurdum dogma fuit additum, nimirum Hiſtoriam Moſaicam de primâ creatione non eſſe intelligendam in ſenſu *literali hiſtorico & proprio*, qvaſi hic fuiſſet mundi ortus ſecundum veritatem hiſtoricam vel phyſicam; ſed deſcribi omnia à Moſe vel *in ſenſu parabolico*, vel ita ut ſeqvatur *Plebejum Syſtema*, qvod ſenſibus abblanditur, eiqve neglecta Philoſophiâ Syſtema ſuum accommodaſſe Moſen. Qvod dogma proponitur in *Archæologiis Philoſoph. Londin. Ann. 1692. edit. l. 2. c. 7. & 8.* Qvi auctor eſt modo jam citatus *Thomas Burnet*, qvi & eandem illam doctrinam, qvam in *Theoriâ* propoſuit in præſenti hoc libro denuo repetere voluit abſurdis abſurda addendo. Contra *Carteſianos ſcripſere B. Dn. D. Jo. Ad. Oſiander in Colleg. Conſiderat in dogmat. Carteſ. c. 8. theſ. 2. p. 115. ſqq. B. Dn. Val. Alberti de Carteſianiſm. & Coccejaniſm. c. 1. §. 15. Melch. Leydekker in Face veritat. Loc. 6. controv. 5. p. 282. Petr. van Maſtricht in Novitat. Carteſ. gangræn. ſect. poſter c. 19. n. 13. ſqq. p. 347. ſqq. Gerhard de Vries in Exercitat. Rational. Exerc. 23. n. 11. ſqq. p. 185. ſqq. Burnetum* refutavit *Herbertus Epiſcopus Herefordienſis* ſenex in Angliâ famigeratiſſimus in libr. ſub titulo: *Some Animadverſions upon a Book intitulet the Theory of the Earth. Londin Ann. 1685.* impreſſ. *Whiſtonum* refutat *Joh. Witty Londin. Ann. 1705.* in ſcripto ſub titulo: *An eſſay towards a vindication of the Moſaic Hiſtory of the Creation.* Conf. hic qvoqve *William Nichols Conference With a Theiſt part. 1. p. m. 90. ſqq.* & diſp. noſtram adverſus *Geologiam Cluveri*

Cluveri. Burneti hypotheſin, qvam propoſuit in *Archæologiis* ſuis, refutavit Auctor aliqvis *Anonymus* in libro ſub titulo: *Moſes vindicatus Amſtelod. Ann. 1694. edit.* vide & contra eandem *Frideric. Spanhem. in Elench. Controverſ. p. m. 667. ſqq.*

§. II. Qvoad ſtatum Controverſiæ diſt. (1) inter creationem *revelatam genuinam* ſeu *canonicam*, qvæ in Hiſtoria Moſis habetur: & *ſpuriam* ſeu *apocryphan*, qvalis e. g. eſt illa, de qva *Turribius Aſturicenſis Epiſcopus ad Idonicum*, & *Ceponium* ſcribit, ſe librum vidiſſe, cui titulus: *Memoriæ Apoſtolorum*, in qvo ceu falſa ea qvæ Moſes de creatione ſcripſit, rejiciantur. Non de hac, ſed de illa qværitur. (2) diſt. inter creationem *revelatam propriè* & *improprie* acceptam, præ aliis ſcil. de *continuata ſpecierum propagatione*, & *conſervatione*. Non de *hâc*, ſed de *illa* controvertitur. (3) diſt. inter creationem revelatam *immediatam*, qvæ & *prima* vocatur, & *mediatam*, qvæ & *ſecunda* vocatur, ex plane inhabili illo chao facta. De *hac* potiſſimum ſermo eſt. (4) diſt. inter creationis ex nihilo *demonſtrationem* ex principiis Philoſophicis, qvam ratione *dependentiæ*, & *productionis* concedunt Philoſophi pariter ac Theologi; ratione vero *modi* & *ordinis* à Moſe deſcripti negant, vid. *B. Calov. in Syſtem. Theol. Tom. 3. p. 912.* & inter *convenientiam* cum principiis Philoſophicis puta phyſicis & Mathematicis ita ut ex iis creationis opus deduci naturaliter poſſit. De *hac* qvæſtio eſt, non de *illa* (5) diſt. inter ſenſum Scripturæ *myſticum* ab ipſo Spiritu S. intentum: & *accommodationem ſenſus* ab interprete factam. Non de *hac* diſqviritur, ſed de *illo*.

§. III. Hiſce prænotatis dicimus. (I) *Creatio mundi a Moſe recenſita non eſt facta juxta leges motus*, Prob. (1) a ſilentio Scripturæ, qvæ de his motus legibus plane nihil novit, & præter qvam de creationis modo aſſeri nihil poteſt. (2) Qvia aperte eſt contra Scripturam. Nam producere materialia ex ſe, chao convenire neqvit. Sed reqvirit infinitam virtutem. Ita enim DEus ſibi hæc appropriat *Jeſ. XL. 12. 13. 14.* (3) qvia in ipſâ creatione leges motuum naturæ, ſingulisqve ejus ſpeciebus vi omnipotentis illius Verbi Domini tum jubentis: *Fiat*, tum benedicentis: *Creſcite & multiplicamini*, fuere datæ, ita ut poſt creationem hanc ſupernaturaliter factam juxta easdem demum operatæ fuerint, ut inter alia qvoqve conſtat ex Gen. II, 5. (4) qvia rudis illa

illa indigestaqve moles plane fuit inhabilis, & *potentia* ejus *mere* fuit *passiva obedientialis*. vid. *Jacob Martin. Exercit. Metaph. l. 1. Exerc. 3. theorem. 9. p. 115.* Ubi vero nulla *potentia naturalis* est, sed *obedientialis* saltem, ibi leges motuum mechanicæ nullum possunt habere locum, nisi & dicere velis, juxta regulas artis vel juxta leges mechanicas aqvam à Christo mutatam esse in vinum, & juxta leges motuum ex lapidibus Abrahamo excitandos fuisse filios (5) qvia juxta leges motuum agere est operis *providentiæ*, qvæ sic male cum *creatione* confunditur. Imo sic hodie qvoqve DEus crearet, qvando agit juxta leges naturæ in prima creatione naturæ inditas, cum tamen dicatur Deus ab omni suo opere qvievisse, (6) qvia creatio à Mose recensita facta fuit *instantanea*. Sic qvando DEus dicit: *Fiat* Lux, statim seqvitur: *& facta est lux*, & sic porro. Qvæ ergo creata, sine motu & successione sunt creata. Motus enim est successivus. Conf. *Philosoph. Altdorff p.* 532. Dicimus (II.) *creatio à Mose recensita non saltem terrestria, sed & cœlestia corpora omnia respicit.* Prob. (1) ex clarissimâ Historiæ Mosaicæ literâ *Gen. I, 1.* Jam eqvidem non negandum, vocabulum שמים varias sustinere significationes, qvas omnes ob brevitatem, cui studemus, hic adducere non licet: attamen & vocabulum hoc pro *cœlo sidereo* Lunæ, solis, planetarum reliqvorum, stellarumqve fixarum regione etiam sumi nemo negabit, qvi Hebrææ lingvæ peritus, & satis id constat ex *Gen. XV, 5. c. XXII, 17. c. XXVI, 4. Jos. X, 13. Ezech. XXXII, 8. Ps. XXXVI, 6. Ps. LXXXIX. 12. Ps. CIII, 11.* ut istiusmodi loca alia taceamus. Hunc autem significatum vocabuli in præsenti loco esse, satis constat ex scopo Mosis, ut & ex conseqventibus. Sic enim mox *v. 6. & 8.* id ad oculum constat. Vocatur autem sic, non qvod tum jam tale fuerit, sed qvod mox ita futurum esset, juxta phrasin non insvetam. Vid. *Glass. Grammat. S. tr. 1. c. 3. p. 885.* (2) ex eadem Historiâ & qvidem ex *v. 6.* ibi expresse dicitur creatum esse רקיע *firmamentum*, sive *expansum*, *supremum* scil. illud, in qvo Sol Luna & Stellæ collocantur *v. 14. 17.* (3) rursus ex eâdem Historia. Sic enim ibidem *v. 14. sqq.* expresse dicuntur corpora cœlestia *die qvarto* creata. Hæc omnia autem ex chao fuisse facta in tempore sextidui, satis apparet ex *v. 1.* & toto scopo historiæ, qvæ omnia tam clara & perspicua sunt, ut à nemine, nisi, qvi ultra vires sapere velit, vel negari vel in dubium vocari

vocari qveant, (4) qvia cum creatione sextiduanâ incipit tempus, ut satis indicat vocabulum בראשית *Gen. I, 1.* Hinc qvicqvid ante sextiduum est, ante tempus est. Qvicqvid autem ante tempus est, æternum est. Atqve sic seqveretur, corpora cœlestia fuisse ab æterno, utpote qvod absurdum. Creatum enim esse, & ab æterno esse, contradictio est in adjecto. Dicimus (III) *Historia creationis Mosaica non in sensu parabolico est conscripta nec ad systema plebejum, aut opinionem vulgi erroneam est accommodata.* Prob. *prius* (1) qvia juxta communem regulam Exegeticam *à litera non facile est recedendum, nisi summa nos cogat necessitas*, qvæ vero hic non est, nisi necessitatem velis vocare, qvando ratio sub obseqvium fidei se non vult redigi, qvæ necessitas vero nullo modo admittenda est. (2) Qvia sensus parabolicus itidem est sensus Spiritus S. de qvo vero non nisi ex ipsa Spiritus S. mente, vel in ipso contextu, vel in locis parallelis significatâ possumus esse certi. Qvæ autem certitudo cum hic non reperiatur, merito à sensu parabolico hic abstinemus. Prob. *posterius* (1) qvia omnis scriptura est Θεόπνευστος 2. *Tim. III. 16.* Ergo & Historia Mosaica. Jam autem dicere ἀκυρολογίας esse inspiratas, maxima est blasphemia (2) qvia DEus non potest mentiri *Hebr. VI, 18.* mentiretur autem, si in verbo suo ad opinionem vulgi erroneam loqveretur. (3) Qvia omne Verbum DEI est credendum. Si autem hic Moses ad plebejum saltem systema, idqve non accuratum sese accommodasset, seqveretur, qvod hic verbum non sit credendum, & qvod *Burneto* aliisqve hodiernis *Neo-Physicis* ac *Mathematicis* magis sit credendum, qvam Mosi Viro Θεοπνεύστῳ (4) qvia nec Moses opus habuit ita scribere, qvia non stupidi; sed omnino etiam sapientissimi ac ingeniosissimi inter Judæos erant. Vid. *Exod. XXXVI, 1. Deut. I, 12. sqq.* (5) hæc ut reliqva omnia etiam ex traditionibus passim, qvas Adversarii tanti faciunt, probari possunt. Qvam operam prolixe & erudite exantlavit *B. Dn. Adam. Tribbechov. in Dissert. de veritate creationis mundi prout à Mose descripta est, ostensa in Traditionibus Gentium ac vetustissimis antiqvitatis profanæ monimentis ad convincendos Atheos. Kilon. Ann. 1668.* Qvæ dissertatio nunc qvoq; habetur in Celeberrimi *Dn. Crenii Dissertat. Historico-Critic. Philol. Fascic. 2.*

§. IV. Contra *Thesin primam Objic.* (*I.*) Eandem esse actionem, qvâ DEus nunc conservat mundum cum ea, qvâ ipsum olim creavit.

avit. Resp. (1) *Neg.* nam ad formationem hujus mundi non tantum reqviritur motus conservatio; sed qvam maxime ipsa creaturarum ordinatissima & immediata dispositio. Nec enim tantum in formatione mundi necessaria est DEI potentia conservans; sed & sapientia infinita ordinans & disponens qvasvis res suo loco & ordine. Uti ad actualem providentiam non tantum reqviritur conservatio generalis, sed & gubernatio specialis, & creaturarum immediata directio, ita ad mundi formationem non sufficit motus qvædam conservatio, sed ipsa partium mundi dispositio sapientissima, qvæ solo motu fieri neqvit. Atqve hinc (2) licet qvidem eandem virtutem reqvirat creatio & conservatio, distinguuntur tamen illæ duæ actiones *operandi modo*. Et in creatione non *potentia naturalis* habet locum, ut in conservatione, sed *mere obedientialis*, qvâ chaos omnino fuit materia plane inhabilis, ut propterea etiam creata ex chao dicantur facta *ex nihilo*. Qvi conceptus tamen non dantur in conservatione. *Objic.* (*II.*) Nihil decedere per hanc sententiam DEO, ut pote qvi nihilominus maneat auctor rerum, cum ad motum, qvo illæ efficerentur conservandum concurreret, atqve hoc modo res omnes naturales ipse cum tempore efficeret. *Resp.* Cum ad creationem omnino plus reqviratur, qvam generalis & ordinarius ad motum concursus, ejusqve conservatio, hinc sine divinæ gloriæ præjudicio per motum juxta naturæ leges tales res naturales qvas oculis nostris videmus, ex confusa illa materia effici non potuerunt. Contra *Thesin secundam Objic.* (*I.*) Creationem cœli & terræ ex nihilo pure negativo *Gen. I*, 1. assertam præcedere subseqventem sextiduanum laborem. Atqve hinc *v.* 2. Mosen incipere creationem sextiduanam, & qvidem cum creatione ex chao, ibiqve tantum sermonem esse de terra, exclusis corporibus cœlestibus jam tum præexistentibus. *Resp.* 1. Creatio illa ante sextiduana est non Ens. Phrasi enim scripturæ omne Ante sextiduanum est æternum (2) Verba Mosis *v.* 1. præludium saltem esse, & *v.* 2. demum incipere creationem sextiduanam, dicitur, non autem probatur. Contrarium satis constat ex præmisso *Vav*, qvod sermonem *v.* 1. coeptum immediate copulat, item ex ה *demonstrativo*, qvod indicat, de ea ipsa terra esse sermonem, de qva *v. præced.* 1. & sic porro fluit sermo usqve ad *v.* 6. apertumqve est indicium, totam hanc locutionem exprimere laborem *primi diei*; (3) si *v.* 1. præludium saltem

esset

esset asserens corpora cœlestia jam ante creationem sextiduanam præextitisse, sequeretur & terram jam ante creationem ante sextiduanam præextitisse, nam & ejus *v. 1.* fit mentio. Quod tamen contra Adversariorum nostrorum videtur mentem esse. *Objic. (II.)* Chaos se non ultra terram extendere, & ne quidem ad lunam pertingere. Potiora argumenta assertionis hujus hæc sunt (1) quia expresse terra illud chaos vocatur *Gen. I, 2.* (2) quia chaos tenebrosum fuit, antequam lux producta. Si vero Chaos solem fixasque stellas complexum fuisset, jam ante lucem debuisset fuisse pellucidum. Sed *Resp.* Falsa omnia sunt præsupposita. Speciatim autem resp. ad (1) dicitur *Gen. I, 2. chaos terra* quoad aliquam sui partem, sed *v. præcedente 1.* vocatus etiam *cœlum.* Ad (2) fuere sol & stellæ fixæ in chao nondum dispositæ, sed adhuc indispositæ adeoque nullum effectum dare poterant antequam dispositæ omnia. Contra *Thesin tertiam Objicitur* potissimum hocce: impolitum, rude, & semibarbarum Judæorum fuisse ingenium, ad quod se accommodare debuerit Moses. Sed *Resp.* (1) Quod si etiam Judæi adeo barbari fuissent, ne sic tamen citra blasphemiam Spiritui S. mendacia tribuere possumus. (2) Quod autem Judæi tales non fuerint ex iis jam constabit, quæ *præced.* §. in fine monuimus.

Qv. III.

NUM CREATIO SIT PRODUCTIO REI EX NIHILO?

§. I.

ET ex antiqvioribus jam qvamplurimi fuerunt, qvi de creatione mundi siniſtre senserunt & qvæstionem negarunt. Vide *B. Calov. in Systèm. Tom. 3. p. 907. sqq.* conf. & *Dionys. Petav. de Theolog. dogmat. Tom. 3. l. 1. c. 1. p. 119. sqq. & Gisbert. Voet. in Disp. Select. part. 1. p. m. 561.* Reliqvaqve Systemata passim. Antiqviorum placita Recentiores nonnulli renovare studuerunt. Sic v. g. *Benedict. Spinosa* negat creationem esse productionem ex nihilo: Sed potius DEum rerum omnium esse causam immanentem, ita ut mundus ex ejus natura necessario fluxerit, adeo ut omnes creaturæ res extensæ perinde ac res cogitantes sint in DEO ceu modi & sicuti decreta divina in DEO

esse concipiuntur. Sic namqve in *Ethicæ part. 1. prop. 6.* Unam substantiam ab alia produci posse expresse negat. *Propos. 33.* asserit rem nullo alio modo, neqve alio ordine à DEO potuisse produci, qvam productæ sunt. *Propos. 14.* præter DEum nullam hic concipi posse substantiam, & *Propos. 15.* Qvicqvid est, in DEO esse, & nihil sine DEO esse nec concipi posse docet. Ex qvibus *Propos. 18.* concludit, DEum esse omnium rerum causam immanentem, non vero transeuntem. Hinc ut jam diximus, negat, creationem esse productionem ex nihilo. Vide & *Ejusdem Epist. ad Oldenb. p. 453.* Spinozam qvidem refutat *Dn. Joh. Georg. Wachter* in dem Spinozismo im Judenthum *part. 1. p. 78. sqq.* & *part. 2. p. m. 185.* & in *part. 3.* sæpius. Attamen in *Elucidar. Cabalist. c. 4. n. 7. p. m. 45.* & *n. 13. p. m. 51. Spinozam* ex Cabala explicare & excusare conatur. Ex nihilo mundum esse conditum, ex recentioribus qvoqve negat *Carol. Blount in Orac. Ration. Thomas Burnet* in *Archæolog. Philosoph. l. 2. c. 9.* qvidem asserit, de creatione rerum omnium ex nihilo, sive ex nulla præexistente materia dubitari non debere, creaturamqve æternam concipi non posse. At vero *Auctor Mosis vindicati p. 55. sqq.* ex Hypothesibus *Burneti* eum arguit negantem creatam ex nihilo mundi compagem, materiamqve ex qva constat, æternam affirmantem, idqve ex his cumprimis argumentis, qvod multis in locis supponat naturam rerum omnium effectricem, qvod priora Geneseos capita meram in allegoriam ad captum populi confictam transferat: qvod ex materia antecedente, de cujus tamen creatione constare nobis ex nulla Scripturæ parte qveat, terram eductam fingat: qvod omnia Scripturæ loca in qvibus terræ cœlorumqve productionis gloria in DEum tota refunditur, perqvam dubia reddat & c. conf. *Act. Erud. Lipsi. Ann. 1695. p. 21.* Alii hic arrodunt imprimis vocem Hebræam ברא eamqve *productionem ex nihilo* significare negant, eoqve ipso nimis absurdas de Creatione opiniones introducentes. Sic namqve sentit *Richard. Simon. qvi in Histor. Crit. V. T. l. 2. c. 5. p. m. 29.* docet, perperam & immerito *LXX. Interpp.* damnari idcirco, qvod vocem Hebraicam ברא per ἐποίησα transtulerint, qvamvis enim aliam *Bara* significationem habeat, ejusmodi significationem tamen magis ex præconcepta de creatione ex nihilo sententia, qvam vi vocis ipsius venire. Repetit hæc *l. 3. c. 3.; p. m. 10.* & *R. Aben Esræ* sententiæ

subscri-

subscribere videtur, qvando ita differit: *Verbum Hebræum qvod vulgo redditur per creavit à LXX. per fecit redditur. Postmodum Judæi & Christiani verbo illi creare significationem propriam omnibus olim Grammaticis incognitatem adfixere. Sola ergo traditio de mundi ex nihilo creatione hanc verbo isti significationem attulit. R. Aben Esra in suo ad h. l. Commentar. Judæorum aliqvot opinionem refellit existimantium, verbum Hebræum de creatione è nihilo significare, dein plurimis probat exemplis hanc significationem verbo Bara adfigi posse, cum in eodem illo capite significet simpliciter facere, formare. Proinde alteram illi significationem tantumodo pro subjecta materia adscribi.* Iisdem novitatibus periculosis indulget Dn. *Jo. Clericus* in *Pentatevcho suo in Gen. c. 1. p. m. 3. sqq.* negans proprium בָּרָא significatum, qvo innuatur generatio ex nihilo nulla præjacente materia. De iis autem qvi sententiam hancce defendunt ita judicat: *Verum qvidem illi tuentur dogma cum materiam mundi è nihilo creatam ajunt: Sed non ideo id hoc in loco doceri aut ex nativa significatione Verbi bara posse deduci seqvitur.* Mox conjecturam suam addit: *Si licet* inqviens, *post doctissimos Viros conjecturam circa vocis hujus significatum proferre crediderim veteres Hebræos, dum uterentur vocabulo hocce non cogitasse de creatione è nihilo neqve etiam eam potestatem verbo* בָּרָא *subjecisse, qva productio è nihilo animo loqventium excluderetur. Sed idem cogitasse, qvod animo latine aut grace loqventium obversatur, ubi utuntur vocibus κτίζειν & condere. Hæc verba modo formationem rei, qvæcunqve tandem illa sit, modo ubi de regione, aut urbe agitur Coloniæ deductionem, aut qviddam simile denotant. Imo & utrumqve conjungitur ubi urbs aliqva κτισθῆναι condita esse dicitur, qvi enim urbes condidisse narrantur, cum earum tecta & mœnia ædificasse, tum eas incolis implesse intelliguntur &c.* Tandem concludit: *Hoc forte sensu vox* בָּרָא *exponenda primo Genes. commate, ut velit Moses, priusqvam à DEO parata esset colonis excipiendis, iisqve instructa, terram vacuam & desertam fuisse. Hoc ergo in loco formationem & colonorum, ut ita dicam deductionem significaret Hebraica vox, commatibus v. 21. & 27. formationem tantum.* &c. De nonnullis aliis adhuc vide Excellentissimi Dn. Profess. *Joh. Christoph. Wolfii* nitidissimum & eruditissimum tr.

de *Manichæismo Sect. 1. §. 3. p. m. 15. sqq.* ibiqve citatos. Absurde autem omnia. De *Spinozæ* sententiâ uberius jam diximus in *Theologia nostra recens Controv. c. 1. qv 10.* ubi & auctores alios contra eundem magno numero citavimus. Contra *Clericum duas doctissimas quasdam disp. de voce* בראּ *&* בראשית *voce hic* habuit *Maxime Rev. Dn. D. Joh. Joachim. Weidnerus* Collega Fautor ac amicus noster longe conjunctissimus. Contra *Spinozam Clericum & Simonium* vide qvoqve Dn L. *Salom. Deyling. Observat. Sacr. part. 1. Observ. 3. p. 15. sqq.* Contra *Simonium* scripsit Dn. D. *Joh. Henr. Majus in dissert. Sel. Loc. 4. p. 244.* item *Joh. Henr. Heidegger in Corp. Theol. Christian. Loc. 6. n. 4. Tom. p. m. 185.*

§. II. Prænotamus nos (1) sermonem esse de creatione non *improprie*; sed *proprie* sic dicta (2) qværi de creatione non saltem *ut sic*, verum & *prouti à Mose est recensita.* (3) sermonem esse de creatione non *secunda*, seu *mediata*, qvæ habet materiam præjacentem, aut *indispositam*, sed *prima* illa ac *immediata* primi diei (4) sermonem esse de *nihilo* non *privativo*; sed *negativo* (5) sermonem esse & de *nomine* & *de re.* Qvibus prænotatis dicimus (1) *Creatio prima est productio rei ex nihilo pure negativo.* Prob. (1) qvia Moses non meminit præjacentis alicujus materiæ ex qvâ creatio facta. (2) Qvia expresse alibi Scriptura creationem sic describit per productionem rei ex nihilo pure negativo. Clarissima sunt loca *Rom. IV, 17. Hebr. XI, 3.* (3) qvia DEO nihil poterit dici coæternum, cum hac ratione duo forent principia infinita ac prima, qvod est absurdum. Nihil ergo præextitit, ex qvo creatio fieri potuerit, (4) qvia si materia qvædam præextitit, illa ab æterno fuisset, atqve sic independens, jam vero ex *independente* mundum creare *dependentem* est denuo contradictorium (5) qvia mundus in nihilum redigetur *Ps. CII, 27.* & qvidem in tale, qvale antea fuit, ut haud obscure colligi licet ex *præced. vers. 26.* hoc autem nihilum, in qvod redigetur mundus, est utiqve negativum, qvoad substantiam enim abolebitur. Vide *Systemata* passim. Dicimus (II.) *Et creatio à Mose descripta talis est, ut nullam præexistentem aliam materiam præsupponat.* Prob. (1) ab ipsa Historiæ Mosaicæ clarissima litera, qvæ *Cap. 1. Gen. v. 1.* creationem ab initio factam recenset, non ergo aliam præsupponere potuit (2) qvia in scriptura

nulla

nulla alia creatio qvam Mosaica habetur & ante Mosen nemo de eadem scripsit, adeoqve cum Moses nullarum præexistentium corporum mentionem faciat, omnino creatio Mosaica ex nihilo negativo facta credenda erit. Confer jam dicta *præced. qvæst. thes.* 2. Dicimus (III.) *Rectissime qvoqve productio hæc ex nihilo negativo probatur ex voce* ברא *Gen. I, 1. occurrente, hicqve significatus eidem non ex mera qvædam traditione: Sed ex aliis maxime prægnantibus rationibus competit.* Prob. (1.) ex ipso contextu & qvidem ex voce בראשית qvæ in proprio ac genuino suo significatu notat: *in primo principio.* Qvando autem DEus *in principio creasse* dicitur *cœlum & terram*, aut creavit ea in *principio simpliciter*, aut *aliqvo respectu.* Non *hoc modo.* Nam sic dicendum, DEum creasse ea in *principio* vel *in respectu materiæ* vel *formæ.* Si in *respectu materiæ*, aut forma principium hoc, vel etiam ipsam materiam præcessit, aut secuta est: Si *præcessit*, aut in alio principio creata est, aut æterna fuit. Si *prius*, distincta duo principia fuerunt *formæ & materiæ*, qvod ex nullo principio constat, nec ulla ratione apparet cur illa duo principia constituere voluerit divina sapientia: Si *posterius* forma cœli & terræ esset DEus, nihil enim æternum est, nisi DEus. Sed hæc ex tali forma creata fuisse cœlum & terram, tanqvam ex materiali causa qvis diceret? Si *secuta* est forma materiam, nullatenus dicendum, qvod ex eâ ceu causa producta sint cœlum & terra; sin in *respectu formæ*, denuo aut materia formam præcessit, adeoqve illius aut aliud principium fuit, aut ea æterna fuit (qvod utrumqve caret fundamento) aut secuta est eam, & sic ex ea tanqvam causa cœlum & terra creata esse dici non potest. Hinc potius dicendum, qvod DEus creaverit cœlum & terram in *principio simpliciter*, h. e. qvod eorum utraqve pars tam *materia* qvam *forma* per creationem principium habuerit, adeoqve neutra ante principium fuerit, aut extiterit. Sicut igitur cœlum & terra in principio simpliciter creata sunt, sic simpliciter nihil ea præcessit, ex qvo creata fuerunt. Illud autem *simpliciter nihil* est, seu *nihilum negativum*, negatio enim omnis entitatis omnis materiæ ac formæ causatur negationem entitatis ac existentiæ. Prob. (2) ex creatione alibi descripta in S Scriptura, de qva jam *thes. 1.* dictum. Ergo ברא nonnisi *productionem ex nihilo negativo significare* potest; Dicimus (IV.) *non ergo*

Creatio denotat emanationem qvandam ex DEI essentia ut DEus ejus sit causa immanens: Prob. (I.) qvia ut modo jam probatum dedimus, creatio est productio ex nihilo; essentia autem DEI non est nihilum aut non ens. (2) Qvia ex DEO ceu independente & infinito facere mundum dependentem & finitum, est contradictorum contra ipsam DEI essentiam. (2) Qvia alias omnes creaturæ forent ipse Deus. Qvod absurdum pariter ac blasphemum. Dicimus (V) *Sic nec Creatio à Mose Gen. I. descripta denotat colonorum deductionem.* Prob. (1) qvia ut ex jam dictis constat ברא & creatio hic recensita significat *productionem rei ex nihilo*, per qvam *non ens* factum est *ens*. Coloni autem non sunt non entia. (2) Qvia DEus in creatione utiqve etiam mundum exornavit, & qvidem non solam terram: Sed & cœlum: Hoc qvidem sole, luna, stellisqve: Illam non saltem colonis & hominibus: Sed & aliis ornamentis ac creaturis ut arboribus, frugibus, animalibus &c. Qvæ autem in numerum colonorum redigere nullo modo possumus. (3.) qvia si hoc loco *Gen. I, 1. sqq.* creationem ex nihilo admittere nolumus, ab Atheis facile in totum ea negabitur, qvia Spiritus S. adeo ex professo nonnisi præsenti in capite de creatione totius mundi agit, utpote qvi locus est maxime classicus. (4) Qvia & contraria sententia plane nullo idoneo argumento probatur, & (5) omni probata auctoritate destituitur. Conf. etiam qvæ de voce ברא habet *Jac. Gusset. in Comment. Lingv. Ebr. p. m. 147.*

§. III. *Objicit Spinoza* potissimum hocce: Creationem mundi ex nihilo involvere contradictionem. Resp. Creaturam aliqvid facere ex nihilo contradictionem qvidem aliqvam infert, at vero infinitum ac omnipotentissimum Numen facere aliqvid ex nihilo plane nullam contradictionem importat, nec ulla commoda contradictionis hujus ostendi potest ratio. Hinc etiam saniores Philosophi nullam unqvam hic contradictionem agnoverunt. Conf. *Huet. in Quæst. Alnet. l. 2. c. 5. p. 137. sqq.* De reliqvis *Spinozæ* vide *Theolog. nostram recens Controv. l. c.* Dn. *Clericus objicit* (I.) Latinis & græcis significatum hunc vocis esse communem ac famosum. *Resp.* (1) à Lingva Græca & Latina ad Hebræam N. V. C. neqve probari poterit, qvod & Hebræi in hoc significatu verbo hocce utantur. (2) Qvod si etiam sic uterentur; *impropriæ* tamen ac *metaphoricæ* vocabulorum significationes

nes non sunt confundendæ cum *propriis* ac *famosis*. *Objic.* (*II.*) Et verbum Hebræum sæpius in hoc significatu occurrere e. g. *Ezechiel. XXVIII, 13. & 15. Jos. XVII, 15. 18. Ps. CII, 19. Ps. CIV, 30. Resp.* (1) Verbum hoc in citatis locis nullibi pro *colonorum* deductione occurrit. (2) In citatis locis Verbum hoc etiam in alia Conjugatione qvam in *Kal* occurrit, de cujus tamen significatione hac vice potissimum qværitur. (3.) Neqve regula hæc valet: Vox hæc vel illa in his vel illis locis sic usurpatur: Et etiam sic in præsenti loco usurpatur. Circumstantiæ textus enim, scopusqve Spiritus S. aliud possunt svadere, sic in *Genes. cap. 1.* uti jam *præced.* §. illud ostendimus. (4) In citatis locis potissimum impropra vocis ברא significatio locum habet, à qva vero ad propriam N. V. C.

Qv. IV.

AN MUNDUS AD PROTOTYPUM, VEL AD IDEAM Λογον & CHRISTI SIT CONDITUS?

§. I.

PEre *Malebranche* ante aliqvot annos edidit scriptum aliqvod sub titulo: *Traité de la Nature & de la Grace.* Qvi tractatus non ita pridem nempe *Ann. 1701. Roterodami* est recusus, in cujus discursu 1. *p. m.* 4. *sqq.* varia habet de Christo, ad cujus imaginem homo sit conditus, imo & ipse mundus sedem Ecclesiæ præbiturus. Sententiam eandem proponit qvoqve *Petrus Poiret.* Sic namqve prolixius hac de materia agit in *Oecon. l. 1. c. 4.* ubi *Cap. 1. Joh.* explicat, & ad verba: *Omnia per ipsum facta sunt*, inter alia ita: *Vides hic originem non tantum rerum existentium; sed & idearum rerum omnium, omniumqve notionum, veritatum, possibilitatum, bonitatum, & omnium omnino, qvæ creaturas, ac mundum universum tum intelligibilem, tum existentem concernunt, & sine eo factum est nihil, qvod factum est. Nihil sine eo factum est, intelligibile cogitabile, bonum verum ne in idea qvidem. Ab ipso omnia originem suam habent ac sine voluntate ac constitutione solum manet Verbum apud DEum nihilqve factum fuisset qvod factum est. Nulla unqvam idea Angeli, cogitationis & intelligentiæ creatæ, nullus humanæ essentiæ conceptus*

nullæ

nulla extensionis natura, nulla veritas creata nulla rerum proprietas nullus proprietatum respectus, verbo, nihil cogitabile & verum extra essentiam ac ideam DEI, qvæ ipse DEus est. Nihil inqvam ex nihilo, in qvo omnia erant sine eo factum, fuisset id, qvod factum est, qvodqve non erat &c. Tandemqve omnia huc redeunt, ut evincere conetur, qvod fons creaturæ & rerum possibilium ab idea verbi divini h. e. ab idea filii Dei proveniat. Qvantum ideas concernit, prolixius magnoqve cum fervore cum *Malebranchio* hic disputavit *Arnaldus*, cujus utriusqve varia prostant scripta. *Poiretum* refutavit *Dn. D. Jæger in Exam. Theol. Nov. Controv. II. p. 137. sqq.* conf. & *Gisbert. Voet. Dissp. Sel. part. I. p. m. 865.*

§. II. Nos prænotamus (1) non esse sermonem de creatione hominis ad imaginem DEI facta, qvam lubenter concedimus; sed de creatione totius hujus Universi sive mundi, & an illa qvoqve ad prototypon DEI: præsertim vero Christi facta sit? (2) Non qværi: an DEus sit Ens sufficientissimum, qvod nulla re extra se indigeat, qvod præscindendo ab omni re creata creabili & possibili sit Ens felicissimum & beatissimum. Qvod ipse *Poiretus* concedere cogitur in *Oecon. l. 4. c. 4.* Neqve qværi: an qvicqvam extra DEum supremam illam & absolutam Majestatem cogere possit ad productionem rerum extra se. Esse enim DEum ens liberrimum iterum conceditur: sed hoc qværi: an fons creaturarum & rerum possibilium ab idea Verbi Divini seu filii DEI proveniat? ita ut pater res possibiles concipere formare & producere non possit sine consideratione & respectu ad filium? (3.) Non esse sermonem de creatione mundi per filium *efficienter*: sed *idealiter* facta. Qvibus prænotatis dicimus. (1) *Mundus, totumqve hoc Universum non fuit creatum ad prototypon Christi.* Prob. (1) qvia id nullibi in toto S. Codice dicitur, ultra qvem vero nihil de præsenti qvidem assertione constare potest. Hominem qvidem ad imaginem DEI conditum esse, in Historia Creationis legimus; mundum autem universum qvoqve ad imaginem, seu prototypum vel DEI vel Christi creatum esse, nullibi omnino legimus. (2) Qvia qvamplurima in toto ac integro hoc universo reperiuntur, qvæ ad prototypum Christi creata esse dicere velle plane absurdum, imo blasphemum foret. Sic enim revera sequeretur, & ipsa bruta, imo & res inanimatas ad proto-

typon

typon Christi fuisse creata, in qvibus tamen plane nulla datur vel expressio vel proportio. (3.) Qvia imago DEI & Christi stylo Scripturæ potissimum respicit justitiam ac sanctitatem, atqve adeo perfectiones animæ, qvas deinceps & reliqvæ seqvuntur. Sed vero harum perfectionum non totus mundus capax est, qvia non omnes creaturæ anima rationali gaudent. Dicimus (II.) *Minus accurate dicitur, quod fons creaturarum & rerum possibilium ab idea Verbi Divini h. e. ab idea filii DEI proveniat.* Prob. (1.) qvia & id nullibi in Scriptura, ultra qvam sapere hic non licet, legitur; (2) qvia omnia saltem ex sola ratione ab Adversariis probantur, qvam tamen ipse Poiret alias in Scholasticis, aliisqve adeo carpit & frivole habet. (3.) Qvia alias revera seqveretur, Patrem minus habere, qvam filium. Nam cur qvæso Pater in Divinis non haberet hanc perfectionem, ut res possibiles concipere formare & producere possit sine consideratione & respectu ad filium? Cur prius necesse habuit, ut consuleret ideam aut verbum suum? Cum tamen DEus sit ens sufficientissimum & liberrimum, summaqve inter tres personas æqvalitas? (3) Qvia nulla nos cogit necessitas ideas tales *Platonico-Cartesianas* introducere in Essentiam Divinam & in SS. Trinitatis Mysterium, de qvo tales conceptus sunt omnino temerarii, cum ex sola revelatione & non ex ineptis conceptibus hujus vel illius Philosophi hic differere oporteat. (5) Qvia creatio est opus ad extra, Atqve sic æqve creat Filius & Spiritus S. ac Pater. Ad qvem ergo nunc respicit Filius? Ad qvem respicit Spiritus S. cum nunc uterqve æqve creare voluit ac Pater? (6) Qvia Filius generatus est ab æterno, jam vero si ad ideam hanc, ut qvidem Poiret vult, mundus esset creatus, facile qvis inde argueret, mundum creatum esse ab æterno. Qvod autem contradictorium est. Disp. II.

§. III. *Objic.* (*I.*) Dominum possedisse Filium ab initio viarum suarum *Prov. VIII, 22. Resp.* Exinde tamen non seqvitur, Christum etiam totius mundi esse Prototypon, cum sic, ut modo jam monuimus, seqveretur, ab æterno DEum creasse mundum, qvia ab æterno filium generavit ac possedit. Qvod tamen absurdum. *Objic. (II.)* omnia constare in Christo *Col. I, 19.* Omnia in ipso & per ipsum creata esse *Col. I, 16. Resp.* à Causa *efficiente* ad causam *exemplarem* & Prototypon non semper valet consequentia, qvoniam alias seqveretur, sculptorem

ptorem sculpentem Mercurium, statuam illam qvoqve facere ad sui imaginem & prototypum qvod absurdum. *Objic. (IV.)* Christum vocari *Joh. I, 1. λόγον*, per qvem creata sunt omnia & nihil factum esse, qvod factum est. *Resp.* Exinde tamen non seqvitur, fontem creaturarum ab idea verbi provenire. Nam & per Spiritum S. creata sunt omnia *Ps. XXXIII, 6.* cujus tamen ideam hic *Poiretus* non admittit. Et deinde ne qvidem seqvitur, qvod id qvod per alium fit, etiam per ideam ejusdem fiat, qvod ne qvidem cum sana, sobriaqve ratione conveniens est.

Qv. V.

AN DEUS IN CREANDO SINGULIS DIEBUS XXIV. IMPENDERIT HORAS?

§. I.

Sic volunt *Cartesiani*. Qvippe *Christoph. Wittich in Theol. Pacif. §. 27.* dicit: Censendum est, qvod ad singula opera singulorum dierum etiam singuli dies fuerint adhibiti. Et §. 75. DEO ad opus cujuslibet diei adhibitum fuisse spatium illud 24. horarum docet. Vide & eundem in *Theol. Pacif. defensa c. 7. n. 88. sqq. p. m. 114. sqq.* Qvæ autem *Burmannus in Syst. Theol. p. 1. c. 42. §. 6. & Petr. Allinga in Erotem. illustr. decad. 6. Erot. 7. p. 182.* restringunt ad creationem mediatam 5. postremis diebus factam. Idem sentit *Joh. Braun in Doctrina fœder. Vol. 1. part. 2. c. 10. Loc. 5. n. 18. p. m. 165.* Contra asserta hæcce vide *Maresi. de abus. Cartes. Phil. §. 89. & Syst. Nov. p. 188. van Mastricht in Gangræn. sect. poster. c. 19. p. 343. Melch. Leydekker in Face Veritatis Loc. 6. Controv. 6. p. m. 290. B. Osiandr. in Colleg. Considerat. c. 8. thes. 1. p. 136.*

§. II. Prænotamus nos, non esse sermonem de ipso illo tempore, spatio nimirum 24. horarum, qvod utiqve in creatione cuilibet diei & nocti à creatore est assignatum; sed de *ipso creationis actu*, & qværi: an integrum illud cujuslibet diei spatium in eo à creatore fuerit consumtum? Atqve sic dicimus: *DEus in creatione non impendit singulis diebus spatium illud 24. horarum; sed creatio potius ratione actus sui, est instantanea.* Prob. (1) ex clarissima Scriptura litera *Psal. XXXIII,*

XXXIII, 9. ubi expreſſe dicitur, qvod per unicum verbum facta ſint omnia. Qvod & confirmat ipſe Moſes *Gen. I, 3. 6. 7. 9. 11. &c.* (2) Qvia creatio dicitur facta ex nihilo *Rom. IV. 17.* adeoqve hic nulla mora potuit locum habere, niſi alias & hodie adhuc velimus dicere, DEum creare, cum per motum ſucceſſive concurrente potentia & ſapientia DEI aliqvid efficitur. (3) Qvia alias hac ratione inter creationem & generationem qvæ fit per ſucceſſivas alterationes & diſpoſitiones nulla foret differentia. (4) Qvia Divinæ Majeſtati ac Omnipotentiæ minus glorioſa foret operoſa illa ſucceſſiva molitio. (5) Qvia & nunqvam in Eccleſia contraria ſententia fuit recepta: ſed potius illa de creatione in inſtanti facta communior eſt ejusdem ſententia.

§. III. *Objic. (I.)* Dicendum eſſe alias, qvod DEus ſingulis diebus qvieverit toto die, excepto illo momento; cum tamen Scriptura tantum qvietis DEI die ſeptimo factæ mentionem faciat. *Reſp.* (1) Si hæc conſeqventia non fluit primo die, cujus opera in momento facta eſſe Carteſiani concedunt, nec in reliqvis diebus ſeqvetur. (2) Qvies DEI conſtitit in eo, non qvod ab actu creationis ceſſaverit; ſed qvod à novis creandis ſpeciebus qvieverit, cumqve ab hac creatione ſex illis diebus non deſtiterit, nec qvieſcere dici poterit ſenſu ſcripturæ. *Objic. (II.)* Nullam rationem eſſe, qvare DEus voluerit adhibere ſex dies, ſi cujuslibet diei opus momento fuiſſet productum. Nam ad diſtinctionem inter res creatas, non opus fuiſſet tanto temporis intervallo: ſed ſufficere potuiſſet v. g. intervallum unius horæ. *Reſp.* (1) Qvam rationem hic DEus habuit primo die, in qvo nobiſcum conveniunt *Carteſiani*, eandem & reliqvis diebus habuit. (2) Suprema ratio hic in voluntate Creatoris qværenda eſt, inqve ea abſolutè ac ſimpliciter acqvieſcendum. Qvicqvid enim DEus vult, circa illud non eſt qværendum: qvare? *Objic. (III.)* Qvasdam res tales eſſe, ut non potuerint momento fieri, v. g. ſeparationem aqvarum, qvæ debuerit fieri cum motu; motus autem tota natura in ſucceſſione conſiſtat. *Reſp.* (1) Cum *Carteſiani* alibi doceant (licet fruſtra) DEum & contradictoria poſſe, qvare ergo nunc hoc loco DEum hæc facere poſſe negant? (2) Negamus & pernegamus, hic aliqvam contradictionem eſſe. Non enim qvis limites Omnipotentiæ DEI infinitæ vel ullo modo ponere poteſt.

Qv. VI.

AN SEX ILLI DIES, IN QVIBUS MUNDUS CREATUS, SINT SEX ANNI?

§. I.

NOnnulli *Neo-Phyſici & Mathematici* in *Anglia* non ita pridem defendere conati ſunt, mundum non ſex diebus vulgo ſic dictis creatum eſſe: ſed potius dies illos ſex denotare ſex annos. Sic docet v. g. qvi *Dn. Iſaaci Newtoni* principiis inſiſtit, *Dn. Gulielm. Whiſton* in tr. ſub titulo: *Anew theorie of the Earth*, ubi inter alia qvæ jam *qv.* 2. notavimus, *p. 69. ſqq.* hæc qvoqve habet, longitudinem diei 24. horarum nullam habere proportionem ad opera in eo peracta. Eadem qvoqve repetit *Dn. Cluver in Geologia cap. 6. & 7.* Sententia hæc æqve ut illa *Carteſiana*, de qva in *præcedenti qvæſt.* egimus, oppoſita eſt *Auguſtino*, qvi in oppoſitum abſurdum fuit delapſus, putans omnia ſimul eſſe creata unico momento, & ſex dies, de qvibus in Hiſtoria Moſaica agitur, *allegorice* interpretandos eſſe docuit de cognitionibus qvibusdam Angelicis, & omnia idcirco dici ſex diebus fuiſſe condita, qvia totidem notitiis intellectui Angelorum fuerint repræſentata, ita ut unaqvæqve Angelorum cognitio dies appelletur, dicaturqve allegorice habere mane & veſpere. Hinc diſtinctio Angelorum cognitionis matutinæ & veſpertinæ. vid. *Auguſtin. ſuper Gen. XV. & de Civit. Dei l. 11. c. 9.* contra qvem vide *Dion. Petav. de Dogmat. Theolog. Tom. 3. l. 1. c. 5. p. m. 130. ſqq. Andr. Rivet. in Gen. c. 1. p. 11. ſqq. Anton. Cregut. in Revelat. Arcan. c. 18. p. m. 695. Gisbert. Vöet. in diſpp. Sel. part. 1. p. 568.* aliosqve.

§. II. Prænotamus nos (1) ſermonem eſſe de creatione non *improprie* qvâdam ſic dicta: ſed *proprie* tali (2) non eſſe ſermonem de voce *diei* alibi interdum pro *annis* accepta v. g. qvando *dierum Propheticorum* fit mentio: ſed de vocis hujus Significatu in Hiſtoria creationis Moſaica occurrente. Atqve hinc dicimus: *mundus conditus eſt non ſex annorum; ſed ſex dierum 24. horis conſtantium ſpatio.* Prob. (1) à litera Hiſtoriæ Moſaicæ, in qva יום occurrit, qvæ vox in famoſo ſuo ſignificatu non annum; ſed diem ſignificat, 24. horis conſtan-

constantem. Prob. (2) qvia tales dies in Historia Mosaica intelliguntur, qvi constant *mane & vespera*, qvæ est descriptio dierum specialiter sic dictorum, non vero annorum. Prob. (3) qvia in Historia Mosaica expresse *dies* opponuntur *annis*, uti ad oculum est *Gen. I, 14.* Prob. (4) qvia sex dies jubemur laborare, qvia nimirum DEus sex diebus creavit mundum *Exod. XXII, 11.* si ergo jam sex annorum spatio mundus fuisset conditus, per sex annos qvoqve laborare deberemus & septimum integrum annum DEO consecrare. Qvæ omnia absona. Prob. (5) qvia contraria sententia plane nullo idoneo argumento probari potest, ac insuper nititur falsis hypothesibus, mundum scl. juxta *regulas* motus *successive* esse creatum, qvod satis jam supra refutatum est. Prob. (6) Qvia contraria sententia injuria est in gloriam & omnipotentiam creatoris. Et revera opus creationis tam admirandum non erit, si sex integris annis terra debuerit condi & exornari. Prob. (7) ex traditionibus ipsis etiam, qvas Adversarii alias ipsi amant.

§. III. *Objicitur* potissimum hocce: Longitudinem diei 24. horarum nullam habere proportionem ad opera in eo peracta, tertio diei duo distincta imo incompatibilia assignari opera, cum reliqvis unum, aut unius generis tribuatur: Terræ si ad reliqva respicias, tam exilis contemnendiqve corporis formationi & exornationi qvatuor integros dies attribui, dum Sol Luna & Stellæ vastissima illa & nobilissima corpora unius diei opus compingantur. *Resp.* (1) Si rationis nostræ decempeda metiri velimus ea qvæ sunt supra rationem, qvid mirum si nulla reperiatur proportio? Jam vero creationis opus maxime tremendum, modum ordinemqve qvod concernit, omnem transcendit rationem. Qvare etiam tot passim Gentilium hic maxime aniles passim reperiuntur fabulæ. Qvando autem jam ratio nostra nullam proportionem hic invenire potest, propterea tamen Historiæ Mosaicæ ejusqve clarissimæ literæ contradicendum non est, sufficit, qvod Spiritus S. hæc omnia asserat, omnipotentissimoqve DEI verbo omnia adscribat. (2) Adducta illa ne sic qvidem inferunt, nullam hic esse proportionem. (α) Qvare incompatibilia hæc sunt, qvod DEus *tertio die* humidum separaverit à sicco, hocqve frugiferum jusserit esse? Putaverim è contrario potius, plane optimam & proportionem & harmoniam, ordinemqve longe sapientissimum hic occurrere. (β) Qvod

Qvod præcedentibus diebus, *primo* scl. & *secundo* vel opus unum, vel opera unius generis tribuantur, ad id vel unicum illud responderi poterit: DEO sic placuit. Et ecqvis Creatorem qvoqve compellare poterit ac dicere: *qvid facis?* Deinde etiam qvid absurdi, qvod singulis diebus sapientissimus ille Creator opera sua qvasi multiplicare voluerit? Denuo elegantissimum maximeqve deprædicandum hic reperio ordinem. (γ) Qvod tot corpora cœlestia die uno sint condita, & formationi ac exornationi terræ plures tribuantur dies, qvid absurdi & hoc importat? Cum corpora cœlestia illa sint simpliciora, corpora vero terrestria maxime composita? Nescio ergo, qvid & ratio hic carpere ac exagitare qveat?

Qv. VII.

NUM DUPLEX STATUENDA SIT TERRA?

§. I.

PRimus ferme, qvantum nobis qvidem constat, qvi Controversiam de duplici qvadam terra movit, fuit *Eqves* qvidam *Hispanus Don. Josephus Antonius Gonçales de Salas*, qvi *Ann. 1650. Lugdun. Batav.* edidit *dissertationem* aliqvam *Paradoxicam de Duplici viventium terra.* Nervose integram suam sententiam *p. m. 14.* in hoc redigit compendium: *Dum scrutor*, inqvit, *rursus inqvam Geographicam originem, duplicem illam enim reputatum iri jam adducor, ut cogitem. Primam anterius vidimus, tum primum delineari, cum die tertio Dominus jussit Aridam apparere. Eam autem aqvarum diluvii exundatione universam prope fuisse obliteratam ambigere non licet. Altera ideo statim obtulit se delineatio telluris, qvæ post diluvium prodiit. Neutiqvam adhuc hic & reqvievit ingenium progressum ulterius videlicet, ausumqve facinus tantum adversus terrarum orbem, ut par forsit an ille perpessus non sit, postqvam conditum scimus. Relinqvere nimirum, subiit hinc primum nobis haud valde cunctabundis, obrutam impostorum aqvis primævam illam telluris superficiem, qvam mortales omnes usqve ad Diluvium incoluere. Et vicissim pariter etiam nos illico conjecimus, alteram alibi superficiem terra diversam prorsus ab illa primavâ post diluvium prodiisse sedem subinde futuram*

turam viventium cujus & incolæ hactenus sumus, & eximus usque ad dierum ejus novissimum complementum &c. Putat ergo Autor, quod terra continens, quæ ante diluvium fuit, aqvis deleta mersa profundis manserit, & alia Noæ posteris à Cataclysmo, qvam ex undis extraxerat DEus, cultui concessa fuerit. *Dissertatio* hæc *Ann. 1654.* refutata fuit à *Christiano Schotano Profess. Franecker.* in *brevi qvadam Epistola*, qvæ refutatio tum temporis partim separata prodiit, partim etiam deinceps *Bibliothecæ* ipsius *Historicæ V. T.* inserta fuit. Refutavit hanc hypothesin qvoqve *B. Calov. in Bibl. Illustr. ad Gen. VIII, 13. Tom. 1. p. m. 265.* Eandem ferme hypothesin non ita pridem renovavit *Thomas Burnet in Theor. Sacra Tellur.* docens, primam terram fuisse Paradisaicam, plane alterius compagis ac formæ ab hodierna, totam fuisse continentem sine Oceano, totam lævem & æqvalem sine montibus, totamqve solidam sine cavernis. Hanc jam penitus fuisse per diluvium dissolutam instar corticis cujusdam. Hodiernam autem nostram terram, ceu longe aliam ex aqvis diluvii emersisse. Qvæ omnia prolixius in dicto libello describuntur, ita ut *l. 1. c. 2. p. m. 2.* glorietur, *se primum esse hujus hypotheseos auctorem.* Sed cum jam ante eum modo nominatus *eqves Hispanus* eandem publice proposuerit, non immerito *Thomas Burnet* inter plagiarios refertur à *B. Dn. Tenzelio* in den Monathlichen Unterredungen *Ann. 1691. p. 351.* Eadem sententia de duplici hac terra propugnatur etiam ab auctore *Archæologiarum Philosoph.* sive *doctrinæ antiqvæ de rerum originibus Londin. Ann. 1662. editar. l. 2. c. 2.* qvi auctor autem idem est *Burnetus*, refutatus ab auctore aliqvo *Anonymo* in scripto sub titulo: *Moses vindicatus; p. 152. sqq.* Eundem *Burnetum* refutavit qvoqve in Anglia *Erasmus Warren in Geologia or a Discourse concerning de Earth before the Deluge Londin. Ann. 1690.* Contra qvem autem sese defendit *Burnet Londin. Ann. 1690.* in scripto sub titulo: *An answer tho the Late objections made by Mons. Erasmus Warren against the Theory of the Earth.* Eandem *Burneti* sententiam tueri etiam videtur *Dn. Whiston. in nova telluris theoria p. 200. sqq. Burnetum* adhuc refutarunt in *Anglia Herbertus Herefordiensis Episcopus*, item alius *Episcopus*, qvi se vocat nomine suo gentilitio *Croft.* Sic & *Hafniæ Janus Birckerodius*, *Lipsiæ B. Christian. Wagnerus*, & *Hamburgi Dn. Casp. Büssing.* eidem *Burneto* sese opposuerunt, ejusqve hypothesi. §. II.

§. II. Prænotamus nos (1) non esse sermonem de aliis qvibusdam terræ qvalitatibus, aliaqve conditione qvâdam, qvam post diluvium concedere possumus, sed de terrâ alia qvoad substantiam suam (2) non esse sermonem de corruptione terræ per aqvas diluvii facta; sed ipsa ejusdem perditione ac abolitione totali, inqve aqvas immersione, cujus in locum nunc successerit alia. (3) Non esse sermonem de magna qvadam confusione per diluvium facta, de qvâ vid. *B. Dn. L. Gottfried. Voigt* im Neu-vermehrten Physicalischen Zeit-Vertreiber *centur. 1. qv. 30. p. m. 75. sqq.* Sed de novæ terræ surrogatione in locum prioris. Qvibus prænotatis dicimus: *Non duplex terra est statuenda: Sed eadem adhuc hodie, qvoad substantiam terra est, qvæ ante Diluvium fuit.* Prob. (1) qvia de nova hac terra plane nihil constat ex toto S. Codice, ex qvo tamen unice de rebus ante diluvium judicari oportet, cum nullus alius liber extet, ex qvo de iis aliqvid certi sciri potest. Traditiones gentilium plane nihil hic valent, nullumqve certum argumentum præbere possunt. (2) Qvia ex Scriptura S. imprimis ex Historia Mosaica plane contrarium constat, assertionem nostram clare satis probans. Sic *Gen. VI, 17.* dicit DEus, se *adducturum esse aqvas diluvii super terram* על הארץ *super eam ipsam terram*, qvæ nimirum ab ipso erat condita, & super qvam vivebant illi homines, qvi viam suam corruperant, non ut ipsa terra periret, sed ut homines, & *qvicqvid est NB. in ea ipsa terra expirarent. Gen. VII, 3.* dicitur, *conservandum esse semen super omnem illam terram.* Non ergo ea ipsa terra totaliter perire potuit. *Versu 4.* dicitur *DEus deleturus non ipsam terram*, sed *omne corpus vivens è superficie terræ.* Sic & *versu 17. 18. 19. 24.* ea ipsa terra expresse dicitur *in medio diluvii permansisse*, ita ut *arca super terram illam adhuc permanentem fuerit elevata, aqvæ super eam ipsam terram creverint, terræqve montes fuerint operti*, & per totum tempus diluvii aqvæ super eam ipsam terram semper permanentem steterint. Qvî ergo perire potuit? *Gen. VIII, 1.* dicitur DEus *transmisisse ventum, denuo super eam ipsam terram. Vers. 3* dicitur *aqva recessisse ab ea ipsa* terra, ut tandem *ea ipsa terra*, super qvam aqvæ diluvii venerunt *c. VII, 17.* ex his undis iterum emersit *Gen. VIII, 7. 8. 9. 11. 13. 14. &c.* infallibili certe indicio, *qvoad substantiam* nunc post diluvium non aliam esse

terram

terram, qvam ante diluvium, & qvam primitus à DEO creata fuit. (3.) Prob. ex folio illo olivæ decerpto à columba illa *Gen. VIII. 11*; Qvod folium procul dubio etiam periiſſet, ſi tota terra periiſſet. Aliàs enim hæc rudera non remanſiſſent. Eqvidem *excipitur*: olivam in mari eſſe natam, imo nemora & ſylvas ſub aqvis per mille & ſexcentos annos ſalva manſiſſe. *Reſp.* (α) Dicuntur hæc, non autem probantur. (β) Qvod ſi etiam res ita ſeſe habeat, nihil tamen inde pro contraria ſententia ſeqvitur. Neqve probatur ex eo, integram priſtinam terram qvoad ſubſtantiam periiſſe, cum particula qvædam hæc potuerit fuiſſe terræ per vim aqvarum à reliqva integra manente divulſæ. Qvemadmodum & iſtiusmodi alia habemus exempla, integrarum nimirum urbium ac inſularum à mari qvaſi deglutitarum, aqvisqve obrutarum, ac ſub aqvis per tempus aliqvod exiſtentium, ſalva nihilominus manente reliqva terra, à qva divelluntur, uti ſic adhuc hodie ſub undis conſpicua eſt urbs *Wineta*. vid. *B. Dn. Georg. Chriſtoph. Gebhardi duas diſſertat. de Wineta & Arcona Gryphiswaldiæ Ann. 1691. edit. Diſſert. I. p. m. 42. ſqq.* Qvâ ratione argumento noſtro ab olivâ illa deſumto plane nihil decederet. Prob. (4.) qvia marium, nubium ventorum, æſtatis, hyemis, montium æqve ante diluvium ac poſt diluvium fit mentio, non ergo aliam hæc indicant terram. Vide clariſſimam literam *Gen. I, 10. 14. c. II, 5. 6. c. VII, 10. c. VIII, 22.* (5.) Qvia & alibi Scriptura unius ſaltem terræ mentionem facit, prouti nimirum primum à DEO eſt creata, & qvidem ut talis ad finem uſqve ſuum perſeveratura. Clariſſima ſunt loca *Pſ. CIV, 5. Pſ. LXXXIX, 12. Pſ. CXV, 15. Job. XXXIV, 13.* Inprimis plane clariſſima ferme hic habetur litera *1. Par. XVII, 30.* (vel juxta alia Exemplaria *c. XVI, 30.*) ubi terra ita dicitur primitus creata, ut moveri non poſſit. *Job. XXXVIII, 4.* ubi ea ipſa terra in qva homines poſt diluvium jam vixerunt, dicitur primitus creata. Idem qvoqve habetur *Pſ. XC, 2. Pſ. CXIX, 90. Pſ. CXXXVI, 6. Prov. VIII. 26. 29. Coheſ. I, 4. Jeſ. XL, 21. c. XLV, 12. Hebr. I, 10. &c.* Qvæ omnia loca clariſſime ſatis indicant, unicam duntaxat ab initio ſemper fuiſſe terram. (6.) Qvia ſi prima terra periiſſet, & ita à DEO creata, qvemadmodum qvidem Burnetus vult, ut perire neceſſario debuerit, ſeqveretur, non omnia vere bona à DEO creata fuiſſe, qvod tamen eſt contra ex preſſiſſimam Hiſtoriæ Creationis literam *Gen. I, 31.*

§. III. *Objic. (I.)* Propter scelera Hominum Maledictam fuisse terram, adeoqve perire debuisse. *Resp. (1.)* non ipsam terram propter scelera hominum perire debuisse; sed ipsos homines, omnemqve substantiam viventem ex Historia Mosaica modo jam adducta est ad oculum. (2.) Per maledictionem, aqvarumqve diluvium etiam corruptam fuisse terram, facile concedimus. Ast â corruptione accidentali ad interitum qvoad substantiam N. V. C. *Objic. (II.)* Locus ex 2. *Ep. Petr. III, 5. 7. Resp.* (1.) Locus hic saltem loqvitur de corruptione terræ facta per diluvium, qvam lubenter concedimus, ut modo jam monitum est; non autem de interitu qvodam qvoad substantiam, conf. *B. Gerhard. in Comment. in h. l. p. m. 350. sqq.* (2.) Imo si de substantia terræ sit sermo, *Petrus* plane contrarium testatur, qvia *vers. 7.* non saltem de terra.; sed & de cœlo loqvitur. Qvemadmodum nunc ergo per diluvium cœlum non fuit mutatum qvoad substantiam, ita nec terra, qvæ nunc est, qvoad substantiam alia est ab illa ante diluvium. *Objic. (III.)* Locus *Rom. VIII, 19.* ubi distinguitur inter mundum vanitati nondum subjectum, vanitati subjectum, & â vanitate redemtum. Hanc terram esse futuram, illam hodie adhuc esse; istam olim fuisse, adeoqve duplicem esse terram. *Resp.* (1.) Loqvitur Apostolus non de ipsa terra; sed de vario Hominum in terra viventium statu (2) plane absurdum, est, per mundum vanitati nondum subjectum intelligere terram antediluvianam. Plane contrarium constat ex Historia antediluviana *Gen. VI, 5. 11.* propter qvam vanitatem etiam homines de terra fuerunt deleti. *Objic. (IV.)* Cœlo empyræo olim ob peccatum Luciferi idem accidisse, ut sedes ejus, Angelorumqve ejus non amplius reperta, penitusqve deleta fuerit *Apoc. XII, 8. Jes. XIV, 12. Resp.* (1) Cœlum empyræum esse Non-Ens Systemata Nostratium satis jam probarunt (2) in loco Apocalyptico plane non agitur de primo Angelorum peccato, nec peccato qvodam in cœlo. Sed saltem hic est visio qvædam, per qvam Johanni motus Satanæ in Ecclesia militante his in terris præsentis sistuntur (3.) Locus *Isaianus* immediate non de peccato Luciferi, sed de casu Regis Babylonici agit. Qvod si autem hic alludatur ad casum Luciferi, qvemadmodum nonnulli volunt, tum Lucifer dicitur cecidisse, non Cœlum, & notanter cecidisse dicitur, non periisse. *Objic. (V.)* Et *Patres Syros* duplicem statuisse terram, primam, in qva Paradi-

Paradisus & primi homines usqve ad cataclysmum vixerunt, alteram illam nostram qvam Noah post diluvium excoluerit. *Resp.* (1) Nondum ex his seqvitur, qvod hi Patres statuerint, aliam terram ex undis emersisse. Nullibi enim id apud illos legitur. (2) Si de duplici terra qvoad substantiam hæc explicantur, falsum id est, & Historiæ Mosaicæ adversum. Sed potius hæc veterum effata non tam de diversa terræ substantia, qvam potius saltem de unius ejusdemqve terræ alio atqve alio statu intelligenda erunt.

Qv. VIII.

AN PLURES POTUERINT CREARI MUNDI?

§. I.

PLures non potuisse creari mundos à DEO, docuit *Dn. D. Sam. Maresius.* Contra qvem autem contrarium defendit *Dn. D. Gisbert. Voetius in Disp. Select. part. 5. p. m. 581. sqq.* Deinde & surrexerunt Theologi *Cartesiani*, qvi itidem negarunt, plures à DEO potuisse creari mundos, & contra asseruerunt, mundum adeo esse unum, ut repugnet, plures esse. Sic enim *Christoph. Wittich, in Theol. Pacif. §. 93. p. m. 67.* docet & *§. 205. p. m. 175.* expresse scribit: *qvoniam igitur repugnat conceptui mundi pluralitas, dico, dari non posse plures mundos, sive qvod idem est, pluralitatem mundorum implicare contradictionem.* Idem qvoqve tuetur in *Theol. Pacif. defens. cap. 8. toto.* Calculo ejus subscribunt idem dogma propugnantes, *Burmann, in Synops. l. 1. c. 15. §. 17. Grœnewegen in Catechism. p. 149. Petrus Allinga in Illustr. Erotemat. decad. 7. Erot. 4 p. m. 206. sqq. Dn. Burcher de Volder in Exercitat. Academ. pro Cartes. contra Huet. dissert. de mundo, Anton. le Grand in institut. Philosoph. part. 5. c. 1. n. 3. sqq. p. m. 301. sq.* Contra qvos vero vide *Dn. Melch. Leydekker in Face Veritat. Loc. 6. controv. 3. p. m. 265. Petr. van Mastricht in Gangræn. Novitat. Cartesianar. sect. poster. c. 20. n. 19. sqq. p. m. 397. sqq. Reiner. Vogelsang in Exercitat. Theol. Exerc. 16. p. m. 494.* conf. & *Gisbert. Voët. l. c. Gerard de Vries in Exercitat. Rational. Exerc. 23. n. 15. p. m. 193. sqq. Cyriac. Lentul. in Nova Renati des Cartes Sap. p. m. 157. sqq.* Ex Nostris *B. Dn. D. Jo. Adam. Osiandr. in Colleg. Considerat. c. 9. th. 2. p. m. 171. sqq.*

§. II. Prænotamus nos, non qværi de actu, & num reipsa plures à Deo conditi sint mundi; sed de potentiâ, & num plures creari potuerint? Hinc dicimus: *Plures utiqve creari possent mundi, si DEus vellet?* Prob. (1.) ab omnipotentia DEI, qvæ infinita est, ut nulli ei limites præfigi qveant *Luc. I, 37. Eph. III, 20.* (2) qvia creatio hæc plane nullam contradictionem infert, neqve ex parte DEI, cujus potentia est illimitata, ut modo jam probatum: nec ex parte mundi, utpote qvi non omne spatium occupat, ut non possit compati alium, posito enim uno, non statim tollitur alter: nec ex parte conceptus nostri, qvi non est falsus, si etiam plures concipiamus mundos. (3.) Qvia DEus qvoqve est extra mundum *1. Reg. VIII, 27.* omnino ergo & extra mundum operari potest. Immensitas enim etiam omnipotentiam qvandam probat. Et sic extra hunc mundum utiqve adhuc alium creare potest. Hincqve recte qvoqve canimus: **Währen tausend Welt zu finden von dem Höchsten zugericht.**

§. III. *Objic. (I.)* Plures mundos implicare contradictionem aliqvam: *Resp.* Neg. Contradictio enim nulla ostendi potest, & contrarium jam satis probatum est. *Objic. (II.)* Si duo mundi essent, intercederet inter illos vel spatium aliqvod, vel non. Si intercedat, aliqvod spatium, illud eo ipso, qvo est extensum est corpus, & sic duo illi mundi per illud spatium conjungerentur, & per consequens non essent amplius duo, sed unus; Si vero nullum spatium intercedat, ergo jam sunt conjuncti & per consequens tantum est unus mundus. *Resp. (1)* Sola contiguitate plures mundi non statim fierent unus, duo homines arctissime contigui non fiunt unus, nec duæ domus arctissime contiguæ fiunt una, propriis enim peripheriis distinguuntur, ita & plures mundi etiam contigui. (2) Licet etiam intercedat aliqvod spatium inter duos mundos, non tamen statim per illud conjungerentur in unum. DEus enim utiqve heterogeneum aliqvod ab utriusqve mundi substantia diversum creare posset, & mundis illis interjicere. (3.) Qvare non etiam duo illi mundi distingui possent per spatia illa imaginaria, qvæ sunt extra mundum? Sive per vacuum, cujus ideam & ipsi Cartesiani habent? *Objic. (III.)* Mundum esse universitatem rerum, plures ergo non posse esse. *Resp.* est mundus universitas rerum omnium creatarum, non autem creandarum, aut creabilium. DEus enim

enim utiqve adhuc plura potest, qvam fecit unqvam, cum omnipotentia ejus alias haberet limites, sicqve finita foret. Qvod absurdum est. *Objic.* (*IV.*) ideam mundi esse infinitam, seu indefinitam. *Resp.* falsa qvædam hæc est hypothesis, qvâ tota hæc Cartesiana assertio nititur, de qva in subsequente Qvæstione dicendum erit.

Qv. IX.

NUM MUNDUS SIT INFINITUS, VEL INDEFINITUS?

§. I.

MUndum esse *infinitum*, seu potius *indefinitum* itidem *Cartesiani* docere solent. Præivit sic ipse *Renatus Cartesius*; & qvidem in *Princip. Philos. part. 2. n. 21. p. m. 31.* scribens: *Cognoscimus hunc mundum, sive substantiæ corporeæ universitatem nullos extensionis suæ fines habere.* Prolixius hæc omnia deducit *Christoph. Wittich. in Theol. Pacif. tot. cap. 8. p. m. 61. sqq.* ubi omnia huc tendunt, in mundo nullos à nobis concipi posse fines, atqve adeo esse indefinitum dicendum, vel etiam *infinitum extensione.* Idem propugnat qvoqve in *Theol. Pacif. defens. tot. cap. 8. p. m. 137. sqq.* Cum qvo consentiunt *Burmann Synops. tom. 1. p. 282. & 289. Allinga in Illustr. Erot. decad. 7. Erotem. 3. p. m. 203. sqq. & in Modest. defens. p. 55. sqq. Petr. ab Andlo in specim. confut. dissertat. Maresii de abus. Philos. p. m. 24. sqq. Anton. le Grand in Institut. Phil. part. 5. c. 1. n. 6. p. m. 302. p. m. 24. sqq. Burcher de Volder in Exercit. Acad. pro Cartes. dissert. de mundo. Bassecourt in defens. Cartes. p. 136.* Contrarium vero defendunt, *Sam. Maresius*, qvi licet statuerit, plures mundos esse impossibiles, mundum tamen infinitum, aut indefinitum esse negat, in *dissert. de Abusu Philos. Cartes. n. 63. p. m. 41. sqq* & in *Vindiciis hujus dissert. contra ab Andlo p. m. 37. Melch. Leydekker. in Face Verit. Loc. 6. Controv. 4. p. 269. van Mastricht in Gangræn. Novitat. Cartes. sect. poster. c. 20. n. 3. sqq p. 362. sqq. Petr. Dan. Huetius in Censur. Philos. Cartes. c. 5. n. 5. p. m. 85. sqq. Reiner. Vogelsang in Exerc. Theol. Exerc. 16. p. 494. Gerard de Vries. in Exerc. Rational. Exerc. 23. n. 14. p. m. 192. & in Philosophemat. Miscell. dissertat. de infinit. sect. poster. p. m. 283. sqq.*

Joh. Schüler in Exercitat. ad Princip. Philos. Renati des Cartes partem primam qv. 25. p. m. 32. sqq. & in *Examin. Philosoph. Renati des Cartes Specim. c. 13. p. m. 84. sq.* Ex nostratibus vide B. *Dn. D. Schomer. in Colleg. Noviss. Controv. c. 5 §. 4. p. m. 76. sqq. B. Dn. Joh. Adam. Osiandr. in Colleg. Considerat. c. 9. thes. 3. p. 181. sqq.*

§. II. Prænotamus nos (1) sermonem esse non de mundo qvodam mere *imaginabili*; sed de mundo *præsente creato & actuali.* (2.) Sermonem esse, ut ipsi Cartesiani loqvuntur de *infinito* qvodam *extensionis* i. e. tali qvod extensionis suæ non habet fines. Qvibus prænotatis dicimus: *Mundus creatus non est indefinitus, aut infinitus extensione,* sive: *Mundus omnino suum habet terminum.* Prob. (1.) à clarissima Scripturæ S. litera. Finium terræ sæpissime fit mentio, v. g. *1. Sam. II, 8. 10. Ps. XIX, 5. Prov. XXX, 4. &c. &c.* Ita & totius mundi, non saltem terræ, sed & Cœlorum fines ac terminos clare satis describit ipse DEus *Job. XXXVIII,* toto capite, conf. & *Prov. VIII, 27. 28. 29. & Jes. XL, 12.* (2.) Qvia DEus adhuc est extra mundum vi clarissimæ scripturæ literæ *1. Reg. VIII, 27. Job. XI, 8. Eph. IV, 10.* Ergo mundus suos habebit terminos. (3.) Qvia mundus potest arctius contrahi *Apoc. VI, 14.* non ergo suis destituetur terminis. (4.) Qvia mundus constat ex partibus, & qvidem omnibus finitis. Ergo habet terminos. (5.) DEI sapientia aut fines mundi novit aut non. Si non, ergo mundus de facto positive infinitus est. Qvod tamen deprecantur Cartesiani. Si autem novit fines; mundus utiqve fines habet. (6.) Si mundus non habet terminos, revera erit infinitus: Qvod attributum tamen est solius DEI. Sed *excipiunt Cartesiani:* Mundum hac ratione non tam infinitum, qvam indefinitum sic dici, seu indefinite extensum. *Resp.* Illud indefinite extensum aut finitum est, aut infinitum. Si finitum, habet terminos. Si infinitum, Ergo creatura datur infinita, & DEO aliqvid statuitur coinfiniti, qvod æqve absurdum ac coæternum. Sed & hic *excipitur*: Si mundus infinitus dicendus, intelligendum id esse de infinitate non *perfectionis*, qvæ soli DEO competat, sed de *infinitate extensionis*, qvæ & numero competit. *Resp.* Neqve hæc locutionem hanc excusabunt. Nam (1.) DEus licet qvidem non sit extensus, attamen uti infinitus est *perfectione*, ita existit etiam infinitus, & est immensus; Unde tametsi mundo non detur *infinitas perfectionis*

tionis. Ubi tamen adscribitur illi *infinitas extensionis*, qvadantenus ei *infinitas* qvædam *DEI* tribuitur, ut dicendum sit, DEum non existere, nec existere posse, nisi ubi de facto mundus est. Qvod omnino absurdum imo blasphemum est. Præterea & extensio infinita in suo genere est summa perfectio, supra qvam major dari neqvit. Datur ergo mundo cum infinitate extensionis & infinitas perfectionis, & incongrua fit inter utramqve distinctio, qvasi hæc illa excluderetur. Prolixius adhuc hæc deduxit *Dn. Leydekker l. c. p. 281.* (2.) Numerus in conceptu qvidem indefinite augeri potest: At numerum numeratum, aut res numeratas indefinite existere, impossibile est. Ita & se habet extensio.

§. III. Adhuc *Objic.* (*I.*) Locus ex *Jerem. XXXI, 37. Resp.* Hominem non posse pervestigare altitudinem Cœli, lubenter concedimus. Ast inde non seqvitur, qvod non habeat terminos. Nam eodem in loco idem qvoqve dicitur de terra, cujus tamen terminos esse, ex supra jam allegatis locis, plurimisqve aliis constat, nec negant ipsi Cartesiani. *Objic.* (*II.*) Non dari spatia imaginaria. Mundum ergo non habere fines. *Resp.* Primum hoc est Cartesianorum, ex qvo nunc præsens qvoqve assertio de infinitate mundi seqvitur. Sed vero & hypothesin hanc satis jam destruximus in *Theolog. recens Controv. c. 1. qv. 18. Objic.* (*III.*) Ideam infinitudinis mundi à DEO nobis esse inditam *Resp.* Idea hæc fingitur, non à DEO nobis est data. Alias enim universalis foret.

Qv. X.

NUM DUO SINT RERUM OMNIUM PRINCIPIA, A DEO CREATA, ALTERUM BONUM, ALTERUM MALUM?

§. I.

Manichæos olim statuisse duo principia, *alterum Bonum*, *alterum malum*, perqvam notissimum est. Qvomodo & alii & ex antiqvioribus & ex recentioribus dogma hocce proposuerint, elegantissimo & consummatissimo qvodam tractatu exposuit Excellentiss. Dn. Professor *Jo. Christoph. Wolfius de Manichæismo ante Manichæos & in Christianismo Redivivo Hamburg. Ann 1707. edito.* Ex recen-

recentioribus huc etiam spectat *Isaacus Peyrerius* auctor *Systematis Theolog. ex Præadamitarum hypothesi*, ubi *l. 1. c. 7. p. m. 26. sqq.* idem hoc *Manichæorum* dogma, licet paululum immutatum proponit, docens, duo occurrere notatu digna in Creatione & compositione rerum, qvæ non demonstrantur per causas; sed designantur in sacris literis, & patent per effectus suos. Unum qvod nullo intercedente medio à DEO emanavit: Alterum qvod medio intercedente à DEO creatum est. Unum productitium, alterum factitium: Unum Spiritale, alterum animale, materiale, carnale, & corporeum. Unum permanens, stabile & æternum, alterum mutabile & vanitati obnoxium. Unum incorruptibile qvod purificat, alterum corruptibile, qvod inqvinat. Unum qvod olet vitam, alterum qvod redolet mortem. Unum qvod patiens est cœlestis illius fulguris, qvo DEus coruscat, qvodqve splendescit in ejus conspectu, tanqvam aurum in ignibus: Alterum qvod DEus urit splendore suo, qvodqve ad ejus radios tabescendo abit in spumam, in fumum in cineres. Unum qvod DEus diligit, alterum qvod fastidit. Unum qvod eligit, alterum qvod reprobat. Duo hæc contrariis legibus & æternis dissidiis inter se pugnantia esse, & ex his miscuisse DEum omnia, cum dedit omnibus vitam & halitum. Alterum vocat spiritum recreationis, & qvi ex DEO est, alterum creationis & mundi, docens, DEum, qvo creavit mundum, afflasse creata & viventia mundi omnia spiritu illo mundi & creationis, per qvem vivunt; sed non item infudisse mundi creatis & viventibus omnibus Spiritum illum recreationis, per qvem creata & viventia obsoleta renovantur, corrupta recreantur, mortua in vitam æternam resurgunt, imo certis electis tantum illum dedisse. Uberius hæc omnia adhuc deducit *subseqv. cap. 7.*

§. II. Prænotamus nos (1) non qværi de duplici qvodam principio, altero bono, altero malo, ratione *existentiæ*, sed ratione *originis* ac *creationis*, & num utrumqve sit à DEO? (2.) Sermonem esse DE DEO unice illo *vero* ac *summo, proprie* sic dicto, non *improprie* sic dicto, qvalis est *DEus ille mundi diabolus.* (3.) Per *Spiritum mundi* intelligi Diabolum, ut ipse *Peyrerius l. c. c. 5. p. m. 28.* concedit, & qvidem non ratione primævæ suæ bonitatis, sed ratione ipsius suæ malitiæ. Qvibus prænotatis dicimus (I.) *Qvamvis qvidem Spiritus ille*

ille sic dictus recreationis seu regenerationis nempe Spiritus ille Sanctus, unicum illud omnis boni Spiritualis in homine principium, utique sit à DEO modo illo in Scriptura revelato, nempe per æternam spirationem, indeque consequentem missionem factam in tempore ad sanctificandum corda hominum. Non tamen æque spiritus ille mundi à Peyrerio descriptus in malitiâ sua à DEO creatus est. Prob. (1.) qvia cum diabolus in veritate non steterit *Joh. VIII, 44.* & deseruerit principatum suum *Ep. Jud. v. 6.* omnino seqvitur, eum primitus malum non creatum esse. (2.) Qvia omnia qvæ DEus creavit fuere valde bona *Gen. I, 31.* E. & diabolus, cum primitus à DEO fuit creatus. Plura vide in Systematibus Loco de Angelis. Dicimus (II.) *DEus ex duobus principiis contrariis æternis dissidiis inter se pugnantibus omnia non commiscuit.* Prob. (1.) Qvia creata omnia fuere valde bona, ut modo jam monitum est, non ergo malo qvodam commixta fuere. (2.) Qvia alias DEus foret causa peccati, qvod tamen odit, dissuadet, detestatur, ac punit, qvemadmodum ubivis scriptura testatur. De qvo ulterius in *Loco de Peccato.* (3.) Qvia malum nullam habet communionem cum DEO *2. Cor. VI, 14. 15. 1. Joh. I, 6.* non ergo DEus illud cum aliis miscere potuit. (4.) Qvia duo contraria sic & bonum & malum non possunt esse in uno subjecto, vide dictum jam citatum *2. Cor. VI, 14. 15.* (5.) Qvia contraria sententia apertum sapit *Manichæismum* semper in orthodoxa Ecclesia condemnatum. Sic enim itidem Manichæi docebant, omnia ex duobus diversis principiis hisce creata esse. *vid. Epiphan. Hær. 66.* Disp. III.

§. III. *Objicit Peyrerius* potissimum locum ex *1. Cor. I, 12.* ubi spiritus mundi & spiritus ex Deo fit mentio. *Resp.* Locus hic plane non patrocinatur dogmati *Peyreriano. Spiritus* enim *ex Deo* utique est Spiritus S. qvi principium omnis boni spiritualis, & à Deo est; ut jam diximus. Per *spiritum* autem *mundi* intelligitur spiritus tenebrarum, qvi ingenium humanum excoecat. Illum autem à DEO esse, & in creatione rebus creatis inditum hoc in loco non asserit Apostolus, nec ullibi in tota Scriptura S. asseritur. Imo contrarium satis testatur Apostolus, dum enim *spiritum mundi* opponit *spiritui ex DEo*, aperte indicat, spiritum hunc mundi plane non esse a DEO.

CAP. II.

De PROVIDENTIA.

Qv. I.

UTRUM DEUS SIT RECTOR MUNDI PROVIDUS; AN VERO OMNIA EX NECESSITATE FLUANT?

§ I.

PRovidentiam DEI negant communiter *Athei*, præsertim etiam *Benedictus Spinoza*, qvi in *Ethica sua prop. 29.* docet; nullum contingens dari; sed omnia ex necessitate divinæ Naturæ determinata esse. Qvæ & *propos. 33. sqq.* ita deducit, ut omnia eo tendant, DEum rerum omnium Rectorem intelligentem & providum non esse; sed ex natura Metaphysica universali omnia omnino esse derivanda, omnia ex Natura DEI emanasse, ut aliter se tota rerum universitas per naturam DEI habere non potuerit, qvam habet in præsenti. Qvæ fluunt ex eo, qvod negat DEum intelligere & velle, de qvo in *Theol. recens controv. c. 1. qv. 22.* egimus. Nec forte meliora sunt, qvæ qvondam docuit *Thomas Hobbes Malmesburiensis*, qvi à nonnullis *Spinozismi* hic argui solet, à qvo tamen liberare eum conatur *Excell. Dn. D. Nic. Hieron. Gundling. in Observat. Select. Tom. 1. Observ. 2. §. 1. & 6.* qvam bene, judicabit jam ipse Lector. Certe fundamento suo non destituuntur, qvæ contra *Hobbesium* hic adduxit *Sam. Parker. in disp. de DEO & Provid. div. disp. 1. sect. 27. p. m. 88. sqq.* ubi perspicue satis probat, *Hobbium*, si DEum crediderit, non alium agnovisse, qvam qvi à se nihil agat; sed causarum exteriorum *Aggregato* ad efficiendum, qvicqvid efficiat impellatur. Imo hoc unicum in omni sua Philosophia fategisse *Hobbium*, ut omnes qvotqvot videmus effectus tum naturæ communis, tum humanæ solis materiæ viribus adscribantur. Sic enim in *Primâ Philosophiâ c. 9.* causam definit, qvod sit *aggregatum omnium accidentium, tum agentium, qvotqvot sunt, tum patientis, qvibus*

bus omnibus suppositis, intelligi non potest, qvin effectus sit una productus, & supposito, qvod unum eorum desit, intelligi non potest, qvin effectus non sit productus. Qvo postea tanqvam postulato utitur in *Phys. c. 25. sect. 13.* ad demonstrandum, omnem deliberationem & volitionem à causis necessariis & extrorsum impellentibus oriri, ita ut neqve DEus, neqve homo, neqve qvicqvam aliud de re qvapiam deliberare, aut rem qvampiam velle possint, nisi qvatenus causarum exteriorum *aggregato* & vi qvadam mechanica determinentur. Et propterea nullam rebus libertatem inesse voluit, nisi eam intelligamus facultatem non qvidem volendi, sed qvæ volunt faciendi, qvæ libertas hominibus & brutis (ut vult) æqve convenit, cum qvod velint agere, non impediantur, qvo pacto automatis etiam, imo ventis & imbribus perinde qvoqve conveniat. Utpote qvæ cum *Spinozianis* qvam optime conspirant. Alias etiam *Hobbesius* peculiaria edidit scripta de *libertate & necessitate Lond. Ann. 1654. & 1656. Philippus à Limborch in Theolog. Christian l. 2. c. 15. n. 26. sqq. p. m. 92. sqq. Spinozismi* qvoqve accusaverat *Franciscum Burmannum*, eo qvod in *Synopsi Theol. l. 1. c. 26.* ipsis *Spinozæ* verbis de omnipotentiâ Dei talia docuerat, qvæ omnem è rebus contingentiam tollant, omnibusqve eventibus necessitatem qvandam ex decreto divino imponant. *Burmannum* autem contra *Limborchium* defendit *Dn. Jo. van der Waeyen in dissertat. de λόγῳ Libræ Veritatis Rittangellianæ præmissa p. m. 175. sqq.* Qvæ & ulterius hic fuerint ventilata, vide in *Theologia nostra recens controv. c. 1. qv. 10. p. 54.* Jam licet qvidem *Burmannus*, aliiqve Theologi *Cartesiani* non in omnibus cum *Spinoza* convenire videantur, dum DEum qvodammodo libere agentem concedunt, ita ut potentiam ejus etiam ad contradictoria sese extendere asserant, de qvibus in *Theolog. recens Controv. c. 1. qv. 24.* egimus. Id tamen verissimum, *Burmannum* reliqvosqve Theologos *Cartesianos* ac Reformatos in eo cum *Spinoza* convenire, necessitatem, qvam in rebus reperimus, à solo DEI decreto provenire, non diffitente ipso *Dn. van der Waeyen l. c.* Ut adeo fatalitatem qvandam rerum absolutam doceant. Contra qvam vide Systemata Nostratium passim. *Spinozæ* sententiam refutaverat qvoqve *Dn. Joh. Georg. Wachter* in dem Spinozismo im Jüdenthumb *part. 2. p. m. 153. sqq. & part. 3. p. 49. sqq.* Sed vero in *Elucidario Cabalistico*

balistico cap. 4. n. 13. p. m. 52. & n. 19. & 20. & 21. p. 60 sqq. Spinozam ex *Cabala* explicare & excusare conatur. Alias contra *Spinozam* hic vide *Christoph. Wittichium in Anti Spinoza p. m. 132.* & in *Exerc. Theol. Exerc. 1. de DEO Mundi Rectore, Poiret in Cogitat. Rational. l. 3. c. 7. p. m. 210. in Notis. Joh. Henr. Heiddegger in Corp. Theol. Christ. Loc. 7. n. 14. Tom. 1. p. m. 247. sqq.* sed nonnisi ex suis principiis, fatalitatem qvandam itidem inferentibus. Contra *Hobbesium* vide *Parkerum l. c.* Ex Professo qvoqve de *libertate* ac *necessitate* contra *Hobbesium* hic disputavit *John Bramhal Episcopus Derrienſis* partim in *à defence of true Liberty from antecedent and extrinsecall necessity being an answer to à late Book of Monſ. Thomas Hobbes of Malmsbury intituled a treatise of Liberty and necessity London Ann. 1655.* edit: partim in *castigations of Monſ. Hobbes. His last animadversions in the Case concerning. Liberty and Universal necessity London Ann. 1658.* edit. Vide qvoqve de hac materia contra *Hobbesium*, Dn. *Thomam Tenison in The Creed of Monſ. Hobbes examin ed. p. m. 109. sqq.* Contra *Hobbesium* & *Spinozam* Illustris Theologus Dn. *D. Joh. Fried. Mayerus diss.* qvandam habuit *in Oraculum Paulinum Act. XVII, 28. Gryphiswald. Ann. 1707.*

§. II. Prænotamus nos (1.) qværi non de *Natura naturata*, qvam adversarii concedunt, sed de *Natura naturante*, num illa provida sit & providentiam rerum omnium habeat? Qvod impr. *Spinoza* negat. (2.) Qværi de necessitate qvâdam non *consequentiæ* & *hypothetica*, sed *consequentis* & *absoluta*. (3.) Sermonem esse non de *nexu* illo *causarum naturalium necessario*, qvi vulgo audit *fatum physicum*; sed de *Natura universali, rerumqve naturalium aggregato* impellente agentia omnia ad efficiendum omne qvicqvid efficiunt, etiam in deliberatione & volitione. Qvibus prænotatis dicimus (I.) *DEus utiqve est Rector mundi maxime providus.* Prob. (1.) ex tot clarissimis Scripturæ locis; qvæ tamen ipse *Spinoza* admittit. Vide Systemata passim. (2.) Ab ipsa Dei existentia. Datur DEus. Ergo & omnino rerum omnium rector erit providus. Neqve enim DEus est, nisi sit perfectissimus, ens primum & summum. Ergo omnino etiam erit ens sapientissimum, intellectu summo ac præstantissimo perfectissimoqve præditum, rerum omnium conscium ac præscium, *à qvo suspensa sunt omnia*

omnia, ut *Seneca* loqvitur, *causa causarum, ultimus rerum finis;* Sicqve & summum in qvæcunqve creata habebit imperium. Alias enim non esset ens perfectissimum. (3.) Ex indigentia creaturarum. Cum creaturæ originem habeant à DEO, ab ipso ex nihilo productæ, & qvidem ita ut non sint ipse Deus, uti supra in *Capite de DEO & Creatione* est evictum, necessum est, ut in suo esse per providentiam conserventur. Nihil enim, qvod ab alio est, se ipsum conservat. Imo repugnat ipsi *creaturæ* notioni, ut credatur *independens* esse à conservatione & gubernatione divina, nimisqve injuria foret hæc hypothesis in gloriam summi illius Entis DEI, qvod nempe dentur qvædam, qvæ non intelligat, nec videat, qvæqve ejus providentia non indigeant, vel etiam ad tempus. (4.) Ex qvotidiano rerum ortu mirabili, rerumqve vicissitudinibus ac motibus e. g. temporum anni revolutionibus, imperiorum translationibus &c. à qvibus omnino ad motorem & Rectorem aliqvem, eumqve intelligentem maxime ac providum concludere debemus. (5.) Ex interno animi ac conscientiæ testimonio, ut qvæ DEum sibi præsentem, eumqve rerum omnium conscium qvam maxime sentit. (6.) Ex consensu saniorum gentilium omnium. His adde qvoqve ea, qvæ de *intellectu DEI in Theol. recens Controv. l. c.* jam probata dedimus. Dicimus (II.) *Ex Natura universali non possunt omnia nececessario derivari.* Prob. (1.) qvia alias natura hæc, qvæ nonnisi naturata est, foret ipse DEus. Qvi ipse Atheismus est (2.) qvia & ipsa natura universalis non est sine regimine, qvia non est sine causa, qvoniam alias processus daretur in infinitum. Cumqve nunc sit dependens, non poterit esse independens, qvalis omnino esset, si omnia ex ea derivanda essent. (3.) Qvia regimen illud, qvod in mundo est, revera non est sine magno intellectu, uti ex omnibus eventibus videre est. Qvemadmodum & testatur clarissima Scripturæ litera *Ps. CXXXIX, 1. sqq. Ps. XL., 10. Ps. XCIV, 11. Hiob. X, 23. c. XI, 2. &c.* At vero talem intellectum naturæ universali adscribere sine magna absurditate non possumus (4.) Qvia Natura multis alternationibus & mutationibus est obnoxia, uti experientia qvotidiana testatur. Non ergo tale regimen ei tribui potest, qvale omnino hic conspicitur, qvodqve principium aliqvod immutabile præreqvirit. Dicimus (III.) *Sic nec deliberatio nec volitio ab his causis necessariis extrorsum impellentibus*

oriuntur vel dependent. Prob. (1.) qvia nec Scriptura S. nec sana ratio qvid de istiusmodi fatalitate novit. (2.) Qvia Deus est agens liberrimum, & per hanc hypothesin *Hobbesianam* revera fit agens necessarium ac naturale, qvod contra ipsam DEI naturam est, & revera Atheismum aliqvem importat. (3.) Qvia hac ratione alias etiam omnis libertas homini adimitur. De qva vide Systemata passim, imo inter agentia rationalia, & irrationalia, imo & ipsa automata & ventilogia plane nulla foret differentia. Qvæ absurdissima omnia. (4.) Qvia alias frustranea erunt omnia præcepta divina, frustraneæ omnes leges ac constitutiones Magistratus & Hominum. (5.) Qvia alias revera etiam æternitas qvædam materiæ infertur, qvæ absurda est, dudumqve explosa. (6.) Qvia alias omnino *fatum* illud *Stoicum*, idqve plane crassissimum, cui & ipse DEus subjicitur, reintroduceretur. Qvod vero semper in Ecclesia maxime abominabile fuit.

§. III. Contra *Thesin primam & secundam Objic.* (*I.*) DEum esse rerum omnium causam immanentem. *Resp.* Absurdum hocce jam in *Theologia* nostra *recens Controv. c. 1. qv. 10.* est explosum. *Objic.* (*II.*) Non esse glorioſum DEO talem condere mundum, qvem semper regere debeat, ne cadat, qvemadmodum & architectus minus laudis habiturus sit, si talem ædificet domum, qvam fulcris semper sustinere deberet, ne ruat. *Resp.* Longe alia in DEO est ratio, qvam in architecto. Hic qvidem laudem habet operis bene facti, si illud stare possit sine ipsius ope, qvia qvicqvid facit, beneficio legum mechanicarum facit, qvæ in natura reperiuntur, ipsiqve sunt præscriptæ, & beneficio firmitatis, qvæ est in ipsa materia, ideoqve laudatur, si leges artis & naturæ recte secutus fuerit, ut stare ædificium possit. Verum opera divina ita non sunt condita. DEO enim nullæ præscriptæ sunt leges, nec materia qvædam dabatur, nec dispositа vel habilis materia. Adeoqve opera hæcce solam sequuntur legem DEI, neqve aliena virtute stant, qvam qva stare jussa sunt. Utpote qvod DEO eo magis est glorioſum, qvam si sine ipsius lege ac regimine starent. Reliqva discussa sunt in Theolog. rec. Controv. l. c. qv. 22. Contra *Thesin tertiam Objic.* (*I.*) Seipsum nihil movere posse. *Resp.* verissimum id qvidem. Atqve hinc etiam à rebus motis ad motorem primum argumentari solemus. At vero inde non sequitur: E. omnia à causarum exteriorum aggre-

aggregato moventur. DEus enim ut primus motor, qviqve à nulla alia causa exteriore movetur, facultatem movendi omnibus creatis indidit, irrationalibus ac inanimatis qvidem sine proæresi, & cum necessitate qvâdam physica, ut v. g. sol necessario luceat, ignis necessario urat, aqva humectet, apes mellificent &c. rationalibus vero cum proæresi qvâdam ac libertate; de qva in loco de viribus liberi arbitrii agitur. *Objic.* (*II.*) Nullam esse substantiam incorpoream; Atqve sic omnia moveri extrorsum. *Resp.* Et hæc hypothesis est falsissima. Dantur enim omnino substantiæ spirituales ac incorporeæ. Qvicqvid etiam contra velit Hobbesius, qvem toties & Scriptura S. & sana ratio refutat. Vide qvæ jam in *Theol. recens Controv. c. 1. qv. 15.* diximus, qvæqve infra *cap. 4.* de anima hominis dicentur.

Qv. II.

NUM CONCURSUS DEI SIT IMMEDIATUS ET PROXIMUS?

§. I

COncursum DEI cum rebus creatis immediatum esse & proximum negarunt jam nonnulli ex antiqvioribus *Scholasticis*. Qvibuscum inter alios & subtiliter nimis ac barbare disputat *Josephus Ballus, Siculus Panormita in tr. de fœcunditate DEI circa productiones ad extra l. 2. c. 16. & 17. p. m. 248. sqq.* Sed non ita pridem surrexit in *Gallia Claudius Pajonus Minister Aurelianensis*, discipulus qvondam *Mosis Amyraldi*, à qvo vulgo sic dictus *Pajonismus*. Varia hic proposuit dogmata, ob qvæ à Reformatis ipsi contradictum fuit, qviqve tandem rem, cum sopiri non potuerit ad Synodos detulerunt. Sic enim propterea conventum est in *Normannia Ann. 1677.* & Synodus qvædam *Islensis est* habita, item *Parisiensis*, & *Ann. 1686. d. 24. April. Synodus Walonica Rotterodamensis*, cujus pars aliqva rogatus & invitatus fuit *Frid. Spanhemius*, ut ipse testatur in *Elench. Controvers. p. m. 330.* conf. & *Jurieu dans traitte de la Nature & de la grace p. m. 5. 6. & 7.* Inter Doctores privatos, qvi sese *Pajono* opposuerunt, claret potissimum jam citatus Dn. *Petr. Jurieu* in citato tractatu, occasionem dante *Conventu* illo *Parisiensi*, à qvo compellatus fuit. Qvo factum,

factum. ut satisfaciendo sibi ipsi prius in proprium suum usum scriptum aliqvod componeret, qvod deinceps post 10. demum annos nempe *Ann. 1688.* publice vulgavit,& qvidem cum videret augeri *Pajoni* discipulos Præceptore suo pejores, qvi in exilio suo variis parvis libellis ac dialogis se prodiderant; inter qvos præ aliis claret *Pajoni* nepos ex sorore *Papinus*, qvi in hâc controversia edidit *Critiqve de la doctrine de Monſ. Jurieu.* Cui obliqve *Jurieu* opposuit *jugement, ſur les methodes rigides &c.* & pariter modo jam citatum scriptum *traitte de la Nat. & Grace.* Qvæ autem vix ad prælum venerant, tum *Papinus* pessima fide Typographi librum hunc *Jurieu* nactus, anteqvam publicabatur, *Eſſais de Theologie & de la Providence & de la Grace* eidem jam opposuit nomine suo non expresso. Vide ipsum *Jurieu* in *præfat, le jugement ſur les methodes rigides edit. ſecund. præmiſſ.* statim initio Librum hunc *Jurieu* ipse refutare noluit. Prodiit tamen *Ann. 1689.* adversus illud scriptum *la Juſte idée de la Grace immediate, ou Reponſe a la Critiqve de la Doctrine de Monſ. Jurieu,* auctore *Anonymo* qvem tamen *Arbuſſum* esse ex scripti dedicatione referunt *Acta Erudit. Lipſienſ. Ann. 1689. Menſ. Octobr. p. 519. Pajoni* hypotheses refutavit qvoqve in Belgio Celeberr. *Dn. Melchior Leydekker in Veritat. Evangel. triumphante de erroribus qvorumvis ſeculor. Tom. 1. §. 27. ſqq.* Idem egit *Dn. Fried. Spanhem. l. c. à p. 306. uſqve ad 331.* Sed Reformati hic suis hypothesibus indulgent. Ex Nostratibus plane nitidissimum scriptum edidit Magnificus *Dn. D. Val. Erneſt. Loeſcher. Theologus conſummatiſſimus in Exercitat. Theol. de Claudii Pajoni ejusqve ſectatorum, qvos Pajoniſtas vocant, doctrina & fatis.* Historiam Controversiæ breviter tangit *Dn. D. Rechenberg* in *Summar. Hiſtor. Eccleſ. period. 5, c. 2. §. 19. p. m. 270.* Conf. & *B. Tenzel.* in den **Monathlichen Unterredungen** *Ann. 1689. p. m. 57. ſqq.* Eqvidem ipse *Pajon* in hâc controversia, qvantum memini, nihil publice edidit; sed ex MSStis qvædam dogmata ejus publicavit *Dn. Spanhem. l. c.* inter qvæ primarium qvoddam hocce erat (de reliqvis agetur suo loco) qvod DEus fons & origo hujus machinæ talem machinam produxerit, qvæ nobilitate, & elegantia suâ Conditoris summi gloriam manifestaret. Unde generalem illi & præstantissimum motum impresserit ad finem usqve orbis duraturum, cujus virtute instrumenta qvævis tam

rationalia

rationalia qvam irrationalia moventur. Ac qvod proinde res creatæ omnes actiones suas edant ope illius efficacissimæ virtutis primo illis inditæ ac propagatæ sine ullo immediato ac proximo Conditoris concursu, qvem influxum alii vocant; Concursu tamen remoto per productionem primævæ virtutis neutiqvam excluso. vide *Spanhem. l. c. p. m. 316. sqq.* Contra hoc etiam dogma vide Auctores modo jam citatos.

§. II. Nos præsupponimus (1.) exmente *Pajoni* esse sermonem de concursu qvodam *mediato* ac *remoto*. (2.) Exmente nostrâ sermonem esse de concursu *immediato* non saltem *immediatione virtutis*, sed & *immediatione suppositi* tali. (3,) Non esse sermonem de *concursu generali* ac *indifferenti ut sic*, qvem lubenter concedimus, sed de *generali* ut *remoto* & *mediato* tantum. Atqve hinc dicimus: (1.) *DEus non ita creavit mundum, ut generalem saltem motum ei impresserit, cujus virtute instrumenta qvævis moveantur, ac actiones suas edant, sine ulteriori DEI concursu immediato.* Prob. (1.) qvia id nullibi in tota Scriptura S. legitur, qvæ potius contrarium passim testatur, de qvo mox. (2.) Qvia nec ullo argumento ex natura petito hoc dogma *Pajonianum* probari potest. (3.) Ex indigentia creaturarum, qvæ certe alio qvodam adhuc influxu opus habent, qvam istiusmodi nimis remoto. Qvippe creaturæ uti *in essendo*, sic & *in operando* dependent â DEO suo Creatore ac conservatore; intimior ergo qvidam concursus DEI omnino hic reqviritur, de qvo mox. (4.) Qvia alias facile ipsa providentia divina neganda foret, Deusqve nonnisi ut otiosus qvidam rerum creatarum spectator considerandus esset. (5.) Qvia si concursus DEI saltem remotus, à creaturis DEus procul erit remotus. Qvo ipso ipsa DEI omnipræsentia vehementissime læditur. (6.) Qvia sententia Pajoniana introducit explosam illam sententiam Platonicam de anima qvâdam mundi, qvæ variis absurditatibus est implexa inqve orthodoxa qvâdam Ecclesiâ non toleranda. Dicimus (II.) *Concursus DEI cum creaturis utiqve est proximus ac immediatus & immediatione virtutis, & immediatione suppositi.* Prob. (1.) ex plane emphaticis Scripturæ S. locutionibus. Sic namqve DEus dicitur generare pluviam *Job. XXXVIII, 28.* dicimur plasmari manibus ejus *c. X, 8.* dicitur DEus cognoscere sedere nostrum, & surgere, omnesqve vias nostras, ita ut nemo se ab eo abscondere possit *Ps. CXXXIX, 1. sqq.*

ut non longe abſit ab unoqvoqve noſtrûm *Act. XVII*, 27. *&c.* Qvæ omnia certe concurſum aliqvem non *remotum*, ſed maxime *propinqvum* indicant. (2.) Qvia charactere ſuppoſiti hic influxus paſſim deſcribitur e. g. per τό Ἐγὼ *operor* ſcl. *Joh. V*, 17. in qvo velut in ſuppoſito præſentiſſima & efficaciſſima operatione movemur *Act. XVII*, 28. *&c.* vide alia loca plura in Syſtematibus noſtris paſſim. (3.) Si DEus operatur *remote* ac *mediate*, adeoqve virtute, qvod *Pajon* concedit, omnino etiam operabitur *ſuppoſito*, qvia *virtus* & *ſuppoſitum* identificantur in DEO. Qvod & argumentum erat *Trigoſi*, qvo convicerat *Cajetanum*. Qvod ſi autem nunc & *qvoad ſuppoſitum* DEus influit, & concurrit, omnino concurſus hicce maxime *proximus* ac *immediatus* debet eſſe, qvia eſſentiam DEI ſalva manente ejus omnipræſentia non poſſumus ab ulla creatura longinqvare. (4.) Et hic urgemus creaturarum dependentiam. Omnes enim res creatæ à DEO qvâ eſſentiam dependent, & cauſarum ſecundarum omnium actiones ex eſſentia ſimul proficiſcuntur. Ergo eædem non ſaltem in eſſendo, ſed & in operando à DEO dependebunt, & per conſeqvens hic influxus & concurſus omnino proximus debet eſſe ac immediatus.

§. III. *Objic.* (1.) Concurſum illum immediatum inutilem eſſe & ſupervacaneum, qvia cauſæ etiam ſecundæ non inſtrumenta, ſed principales, ſint qvæqve adeo virtute propria & ſine extrinſeco aliqvo influxu operentur, cum ad effectum producendum virtus illi æqvalis & coordinata ſufficiat, nobilior vero non reqviratur *Reſp.* Creaturas eſſe *cauſas principales*, & non *nuda inſtrumenta*, facile largimur; ſed tamen his concurſus aliqvis ſuperior non eſt adverſus; qvia nihilominus ſunt & manent cauſæ ſecundæ, qvæ primæ illi eſſentialiter ſubordinatæ ſunt. Sic qvoqve virtus cauſarum ſecundarum eſt propria, prouti nimirum illam ad particulares & ſpecificos effectus applicant, virtus tamen illa univerſaliter & indifferenter ſpectata utiqve eſt à DEO tanqvam *cauſa* prima ac *univerſali*, *generaliter* qvidem; nihilominus tamen *immediate* & *proxime* concurrente ad unum eundemqve numero effectum. Hæcqve virtus non eſt ſupervacanea aut inutilis, ſed maxime reqviritur, ob dependentiam nempe maximam creaturæ à DEO. Qvicqvid autem ita dependet à DEO, in illud etiam ipſe, ut cauſa prima, immediate & proxime influit, cum effectus omnis ab immediata & propin-

propinqva causa magis dependeat, qvam à remota, à qva longius abest ut proinde ad maximam dependentiam non sufficiat remota; sed propinqvior omnino causa reqviratur, cum qva ipsa sit conjuncta. *Objic.* (*II.*) Nihil absurdi in se continere hanc hypothesin de generali illo motu rebus creatis omnibus impresso. *Resp.* Qvæ absurda ex hypothesi Pajoniana fluant, ex adductis nostris argumentis jam videre est. Facile enim ipsa DEI Providentia, Ejusqve omnipræsentia per eandem negatur. *Objic.* (*III.*) Et Augustinum aliosqve Scholasticos qvoad ipsa fundamenta idem docuisse. *Resp.* (1) *Augustini* sententia frustra hic allegatur, qvippe is plane contrarium docuit: Clarissimus est locus, qvi legitur in Ejusdem *Ep. 146. ad Consentium Tom. 2. Opp. p.m. 682.* ubi ita: *Cessatio septimi diei ab ipsis naturis condendis intelligenda est facta, non ab earum administratione, qva conditæ referuntur. Cum ergo natura rerum à creatore administretur, & per ordines præfinitis locis & temporibus suis cuncta nascantur, DEus usqve nunc operatur. Nam si DEus nunc ista non format, qvomodo legitur: Prius qvam te formarem in utero, novi te. Qvomodo etiam accipi potest. Qvod si fœnum agri, qvod hodie est & cras in clibanum mittitur, DEus sic vestit, nisi forte credendum est, fœnum à DEO vestiri & à DEO corpora non formari? Cum enim dixit. Vestit, non de præterita ordinatione; sed de præsenti operatione satis indicat.* Qvæ sic ulterius adhuc deducit ibidem, satisqve sic indicat, concursum illum DEI cum creaturis non remotum saltem, sed qvam maxime proximum ac immediatum statuisse. (2.) *Scholasticos* qvod concernit, ii qvando contra Scripturam sanamqve rationem docuerunt, in testimonium veritatis vocari neqveunt, qvippe non auctoritatibus, sed rationibus pugnamus.

Qv. III.

UTRUM DEUS ITA OPERETUR PER CREATURAS, UT IPSÆ CREATURÆ ETIAM AGANT; AN VERO HÆ SALTEM CAUSÆ OCCASIONALES SINT?

§. I.

EX recentioribus negarunt id Theologi *Cartesiani*. Sic namqve *Christoph. Wittich in Theol. Pacif. §. 237.* scribit: *Illa operatio*

vatio qvæ Angelis, ut & creaturis qvibuslibet tribuitur, longe alia est ab ea, qvæ DEO adscribitur, nec alio sensu dici possunt operari nisi qvod posita tali eorum voluntate aliqvid aliud sequatur in creaturis qvod tamen totum qvoad omnem suam realitatem DEus efficit. Sic ergo non apparet, qvo minus, si DEus velit, posita hac vel illa voluntate Angelorum aliqvod inde seqvi possit in mente nostra, qvam in nostro corpore. Eqvidem *Petrus Allinga in Face Dissidii extinct. c. 70. p. m. 142.* putat hic injuriam fieri *Wittichio*; & statum Controversiæ immutari. At vero verba ita sunt clara, ut nulla injuria hic habeat locum. Sic & in *Theol. Pacif. defens. c. 16. n. 352. p. m. 542.* denominationem ab effectibus non causæ primæ; sed secundæ tribui qvidem concedit, omnem realitatem tamen nihilominus unice tantum DEO tribuit, & creaturas nonnisi instrumenta qvædam DEI esse asserit. Cartesianis accessit qvoq; eorumqve mentem adhuc clarius exposuit *Pere Malebranche* in scripto: *Traité de la Nature & de la Grace discurs. 1. part, & 2.* docens, DEum agere in creaturis voluntate generali, cum nimirum agit secundum leges generaliter à se stabilitas naturamqve nihil aliud esse, qvam legem DEI generalem, secundum qvam simplicissimo & sapientiæ suæ convenientissimo modo, & ut causa generalis operetur. Qvo ipso voluntas DEI particularis vel negatur, vel ad extraordinarios effectus saltem restringitur, & simul docetur, non res agere; sed DEum ad rerum præsentiam & secundum rerum aptitudinem, adeoqve res occasiones esse, non causas, & recipere, non efficere aut elicere. Unde & doctrina illa nova *Malebranchii* de *causis occasionalibus* & in regno naturæ & gratiæ. Nimirum hæc *Malebranchii* mens est, *regnum naturæ* qvod concernit (*de regno gratiæ* alibi erit dicendum) DEum agere in nobis *voluntate generali*, cum agit secundum leges generaliter à se stabilitas, ut punctionem dolor seqvatur, globus à globo impulsus moveatur: *particulari* vero voluntate agere, si efficacia voluntatis ejus non est determinata ad effectum per legem aliqvam generalem. Etiam signa qvædam proponit, ex qvibus dignosci possit, utrum aliqvid ex *voluntate generali* an ex *particulari* efficiatur. Pro *illa* regulariter præsumendum esse docet maxime si effectus immediate causam occasionalem seqvatur v. g. si lapis desuper cadens hominum occidat. Si vero effectus sine causa occasionali appa-

appareat, vel contrarius sit legi generali, v. g. si venenum haustum non noceat, si pluvia non promoveat fertilitatem, tunc pro *particulari* voluntate argumentum sumi posse. Atqve sic juxta *Malebranchium* In *ordinariis* DEus agit *generaliter* juxta generalem illam legem naturæ occasione intervenientis creaturæ, ut non creatura, sed occasione creaturæ DEus agat, & effectus seqvatur, qvia DEus sic vult. Qvod etiam ad *creaturam intelligentem* applicat, qvam itidem nonnisi pro *causa occasionali* habet, per qvam voluntas divina ad producendos effectus determinetur, indeqve fiat ut creaturæ tantum agant per *desideria*, DEus autem solus *vere* & *realiter*. In *extraordinariis* autem qvibusdam, ut in allatis exemplis, DEum agere docet, voluntate *particulari*, & effectum occasione creaturæ tum non seqvi, qvia scilicet non vult DEus. Miracula qvod concernit, de illis infra mentem *Malebranchii* percipiemus. *Malebranchii* hypothesin videtur assumsisse Dn. *Bernardus Connor in Evangelio Medici Artic. 5. p. m. 33.* ubi ita: *Cum igitur motus sit effectuum omnium causa unica, & motus unice & immediate à solo DEO procedat, DEus erit unica & immediata effectuum omnium causa. Ac proinde materia, materiæ figura & moles, qvæ vulgo naturales, seu secundæ causæ vocantur, veræ causæ non sunt; sed tantum passiva qvædam, apta tamen instrumenta & occasiones, qvæ summum opificem ad producendos, qvibus destinata sunt effectus determinant, uti lutum coecis oculis applicatum non est causa; sed tantum occasio, cur coecitatis causa à supremo luminis auctore tollatur.* In qvam sententiam inclinat qvoqve Dn. *P. Bayle Tom. 3. Resp. 768.* Atqve hinc nunc pariter ortus est *Cartesianus Pietismus*, de qvo Celeberrimi Dn. Auctores des alten und neuen *Ann. 1701. p. m. 455.* ita: Vor andern vermeinen die Cartesianer, daß wo ihre Lehre von den Causis occasionalibus angenommen wurden/ müsse die Welt nohtwendig frömmer werden. Denn so lange man gläube daß natürliche Dinge würckliche Uhrsachen / sonderlich dessen / was uns wohl oder übel thut/ wären / so lange würde das Hertz von GOtt auff dieselben gezogen / man liebe und fürchte sie mehr/ als GOtt/ und mache sich also viel Götzen. Dahingegen / wenn man mit ihnen lehrete / GOtt sey allein die wahre Causa agens efficiens, er sey es allein der da mache / daß uns etwas wohl oder wehe thue/

alle andere Dinge aber währen nur Gelegenheiten / causæ occasionales hirzu / weil Gott sich einmahl entschlossen hätte nur in ihrer Gegenwart solche Würckungen zu verrichten / so würde man nicht sie sondern GOtt allein hochachten. Zum Exempel / wenn man gläubte / daß nicht die Rose; sondern allein GOtt / sobald die Rose da währe / den guten Geruch verursache / daß nicht das Feuer / sondern GOtt / wenn selbiges an unsern Leib kommet / den Schmertzen mache &c Contra *Cartesianos* vide *Melch. Leydekker in Face Veritat. Loc. 8. Controv. 5. p. 377. sqq. Gerard de Vries in Exercitat. Rational. Exerc. 25. n. 2. sqq.* Ex nostris vide *B. Jo. Adam. Osiandr. in Colleg. Considerat. c. 15. th. 2. p. 283. sqq.* conf. & *B. Dn. D. Michael. Walther. in disp. de Concurs. DEI th. 12.* Speciatim contra *Malebranche* vide *Dn. Jurieu dans Traitte de la Nature & de la Grace tr. 1. c. 1. p. m. 148. sqq. Arnaldum dans Reflexions Philosophiques & Theologiques sur le nouveau Systeme de la Nature & de la Grace livr. 2.* item *dans la dissertation sur la maniere dont Dieu a fait les frequents miracles de l' ancienne Loy* conf. & *G. G. L. de ipsa Natura sive de vi insita actionibusque creaturarum* in *Actis Erud. Lipsiens. Ann. 1698. Mens. Septembr. p. 433. sqq.* vide & contra *Baylium, Magnif. Dn. D. Val. Ernest. Loescher. in Prænot. Theolog. p. 100.* Contra *Connor.* vide *Dn. Gunther. Christoph. Schelhammer in Naturæ Vindicatæ vindicat. p. 66. sqq.*

§. II. Prænotamus nos (1.) sermonem esse hac vice de influxu DEI in regno *naturæ*, non *gratiæ*, de qvo alibi. (2.) Sermonem esse de concursu DEI cum creaturis omnibus, omnibusqve earundem actionibus. (3.) Sermonem esse de eventibus rerum non adeo *extraordinariis*, qvam potissimum *ordinariis*. (4.) Sermonem esse non de concursu DEI *generali* ac *immediato*, cum causis secundis, qvem lubenter, sed ut *indeterminatum* ac *indifferentem* concedimus, de qvo egimus in *præced. Qv.* sed de *Concursu Dei generali solitarie & unice agente* sine operatione qvâdam causæ secundæ. (5.) Sermonem esse non *de causa occasionali*, prouti eadem est, ac *causa secunda* simul operans; sed de *causa mere occasionali*, & nihil agente. (6.) Sermonem esse non de *qvibusdam* creaturæ intelligentis *desideriis*, qvæ DEus utiqve & promovet & expedit; sed de *omnibus desideriis*, iisqve qvidem voluntatem divinam determinan-

terminantibus. Qvibus prænotatis dicimus (I.) *DEus ut causa prima ac universalis ita operatur per creaturas, ut & hæ ceu causæ secundæ ac particulares simul agant.* Prob. (1.) à clarissima Scripturæ S. litera, qvæ omnes actiones specifice ac determinate tales ceu effectus creaturis tanqvam veris suis causis tribuit. vid. *Cohel. I, 5. 6. 7. 8.* Qvomodo autem nunc auris potest audire, oculus videre, si non auris audiret, non oculus videret, sed DEus ad præsentiam, & occasione auris & oculi? Ita & sol dicitur oriri & occidere, aqvæ dicuntur dilabi in mare, nix & pluvia humectare terram, homo dicitur sedere, stare, cogitare, ire, cubare, pluresqve alias actiones legimus, qvæ creaturis tam rationalibus qvam irrationalibus, tam animatis, qvam inanimatis in Scriptura Sacra tribuuntur *Psl. XIX, 7. Jes. LV, 10. Psl. CXXXIX, 1. sqq. Psl. CXXVII, 1. sqq.* ut infinita loca alia jam taceamus. Ergo utiqve & causæ secundæ agent. (2.) Qvia & tales passim effectus causis secundis tribuuntur, qvæ qvoad speciem & individuationem actus DEO plane non competere possunt. v. g Boves dicuntur boare *1. Sam. VI, 12.* herbam comedere *Dan. IV, 32. 33.* Asinus dicitur rudere *Job. VI, 5.* Leones rugiunt *Prov. XXVIII, 15.* Sic homines dicuntur generare, comedere, bibere, ridere, lacrymari, saltare, habitare in domibus, sternutare &c. Ecqvis autem jam dicere poterit, non creaturas illas hæc agere; sed DEum ad præsentiam earundem proprie ac physice boare, herbam comedere, rudere, generare, comedere, lacrymari &c.? An non absurda hæc omnia? Imprimis cum expresse alibi DEus testetur, se non esse instar bovis aliorumqve brutorum gramen comedentium *Psl. CVI, 20. Rom. I, 23.* nec esse instar hominis, *Hos. XI, 9.* nec effectus hosce sibi tribui posse. *Psl. L, 11. 12. 13. &c.* (3.) Qvia creaturis interdum & tales tribuuntur in Scripturis actiones, qvæ pro objecto habent ipsum DEum, qvæ adeo, si creaturæ non agerent, redundarent in ipsum DEum non sine insigni absurditate, v. g. homines dicuntur adorare DEum, opera ejusdem incognita deprædicare, admirari, DEum timere & extimescere &c. Si vero jam creaturæ non agent, DEus semetipsum adorat, semetipsum ut incognitum deprædicat, semetipsum timet ac extimescit, &c. Ecqvis sanæ mentis ita loqvi poterit? (4.) Qvia alias frustranea esset tanta creaturarum varietas tantaqve diversitas qvalitatum in illis, cum DEus omnia producat, qvi proinde æqve

per

per asinum produceret loqvelam ac per hominem &c. (5) Qvia alias revera Deus causa erit peccati, omniumqve actionum malarũ causa, si enim non creaturæ, sed DEus agat, seqvitur, qvod qvando creatura, homo scl. furatur, occidit, maledicit, fornicatur, blasphemat, &c. hæc non homo faciat; sed DEus ad præsentiam hominis. Inevitabilis hæc est ex hoc dogmate seqvela, promiscue enim de actionibus omnibus sermo est. Qvæ autem maxime blasphema sunt, inqve sanctitatem DEI maxime injuria. (6.) Si creaturæ nihil agunt, nullas etiam proprias habebunt virtutes, nulla perfectio erit vel concreata vel connata. Contrarium autem patet ex *Gen. I, 27. 28.* conf. loca *Gen. XLIX, 3. Jos. XIV, 11. Jud. VIII, 21. c. XVI, 5. 6.* Ubi expresse virtus qvædam proprie à DEO concessa homini tribuitur, & *Job. VI, 11. 12.* infirma vocatur. Qvod prædicatum locum habere non posset, si virtus hæc non homini propria, sed DEI ultimato esset. Dicimus (II.) *Ergo Creaturæ actionum suarum utiqve veræ causæ sunt & non meræ occasiones.* Prob. (1.) ex argumentis modo jam adductis, ex qvibus constat, creaturas esse veras actionum suarum causas, ergo non occasiones. His seqventia adhuc addimus, nempe prob. (2.) Qvia si non veræ essent causæ, sed saltem occasiones qvædam meræ per se nihil agentes, seqveretur, plane nullas esse causas secundas, nullamqve hic esse subordinationem; sed omnia unice esse à causa prima etiam qvoad speciem actus. Qvâ ratione autem DEus non saltem ut causa universalis; sed & ut particularis influeret in omnes actiones, voluntateqve non saltem generali; sed & particulari. Qvod tamen contra ipsam *Malebranchii* est hypothesin. Qvæ sic revera sibi ipsi contradicit, nec conciliari potest. Contra autem eo facilius conciliantur omnia, si retineamus dogma illud omnium tutissimum de causis essentialiter sibi subordinatis, statuentes, DEum concurrere ut *causam primam* ac *universalem*, creaturas vero ut *causas secundas*, & *particulares* agere, sicqve essentialiter subordinatas eadem numero actione ad eundem qvoqve effectum influere, ita qvidem, ut utraqve *immediate* agat, & utraqve *perfecte*, qvælibet nempe in suo genere. DEus qvidem ut *universalis causa* vires agendi causis secundis generaliter non tantum largiendo; sed etiam iisdem ad omnem actionem & effectum omnem immediate cooperando; speciem autem & individuationem actus, non determinando, ut-

pote

pote qvæ est à *causa secundâ* & *particulari*. Sicut sol ad omnium rerum generationem calore suo concurrit, nec tamen calor hic facit, ut, qvod generatur, necessario sit canis, vel eqvus. Hæc enim species non est à sole, sed ab eqvo, vel cane parente, tanqvam causa particulari, qvæ concurrit effectum ad hoc tale esse determinando. Sic & pirus producit pirum, eqvus eqvum, canis canem &c. Qvâ ratione & qvam optime DEus à causalitate peccati, qvod est effectus specificus, liberatur. (3.) Qvia si creaturæ sunt saltem causæ mere occasionales, seqveretur, creaturas non esse, nisi mera instrumenta ἄεργα, Deumqve per creaturas sic agere, qvemadmodum homo per pupam loqvitur. In universo ergo mundo nonnisi mera erunt DEI glaucomata. Et qvemadmodum instrumenta à causa principali moventur, & ad hunc illumve effectum determinantur, ita & creaturæ sic movebuntur à Deo, qvi propterea causa principalis omnium effectuum etiam malorum erit. Qvæ adsurda pariter ac blasphema omnia. (4.) Qvia si creaturæ saltem causæ occasionales, simul etiam omnes actiones immanentes substantiarum tolluntur. Sic namqve non anima cogitat; intelligit & vult; sed DEus occasione animæ. Qvod autem à ratione adeo alienum, ut nihil supra. Ecqvis enim in dubium revocabit mentem cogitare, ac velle, & in nobis à nobis multas elici cogitationes, multosqve intellectus ac voluntatis effectus, libertatemqve penes nos esse? Qvo facto certe non tantum negaretur libertas humana, & denuo in DEum omnis causa malorum, qvi sic & Talmudis & Alcorani auctor foret, rejiceretur; sed etiam intimæ nostræ experientiæ, conscientiæ ve testimonio reclamaretur, qvo ipsimet nostra esse sentimus, qvæ nullâ rationis specie in DEum transferri possunt. (5.) Qvia si omnes creaturæ causæ saltem occasionales, perfectum hic habemus *Spinozismum*. Nam sic totus mundus operans erit ipse DEus, omnisqve creatura DEus occasionatus, eodem modo ut olim eandem hanc difficultatem animadvertit in sententia sua absurda magnus ille Platonicus & Scriptor mysticus *Cardinalis Nicol. à Cusa*, qvam non aliter solvere potuit, qvam doctam qvandam fingens ignorantiam. Sic namqve *l. 2. de ignorantiâ doctâ c. 2. p. 25.* scribit: *Qvis intelligere possit, qvo modo omnia illius unicæ infinitæ formæ sint imago diversitatem ex contingenti habendo, qvasi creatura sit DEUS OCCASIONATUS, sicut accidens substantia occa-*

Disp. IV.

sionata, & mulier vir occasionatus. Dicimus (III.) *Ergo & Creaturæ intelligentes non agunt per nuda desideria, nec per illa determinatur voluntas divina ad producendos effectus.* Prob. (1.) Qvia hoc dogma plane nullo idoneo argumento nec ex Scriptura S. nec ex sana ratione petita probari potest. (2.) Contrarium ex jam adductis rationibus est ad oculum. (3.) Qvia creaturæ intelligentes qvamplurima habent desideria v. g. mala, qvæ DEus non vult *Ps. V, 5.* (4.) Qvia creaturæ intelligentes qvamplurima habent desideria, qvæ DEus impedit, & qvæ non fiunt, ut & Scriptura & qvotidiana experientia testatur. Ergo desideria hæc determinare neqveunt voluntatem divinam. Ut plurima alia in re nimis manifesta brevitatis ergo taceamus.

§. III. *Objic. (1.)* DEum esse omnis realitatis auctorem, & ab eo dependere omnia proxime & immediate. *Resp.* Utiqve à DEO omnia, ad qvæ concurrit concursu immediato & proximo, qvem lubenter concedimus. At vero inde non seqvitur, creaturas nihil agere, aut causas saltem occasionales esse. A DEO omnia tanqvam à causa prima ac universali, & qvidem qvantum ea, qvæ in regno naturæ ordinariè accidunt, qvoad materiale indeterminate acindifferenter. Qvoad formale autem ac determinate specifice ac in individuo qvilibet effectus tribuitur causis secundis ac particularibus ex viribus illis à DEO concessis utiqve simul agentibus, ut in superioribus & explicavimus & probavimus. *Objic. (II.)* Eandem actionem non posse esse à causis pluribus totalibus, si sint diversi ordinis & essentialiter sibi mutuo subordinatis. *Resp.* Tum demum aliqvid conficeret argumentatio, si altera tempore ac influentia anteverteret alteram, nec concomitanter utraqve in effectu producendo sese haberet. Jam vero hoc à nobis non asseritur, cum uno eodemqve momento ad producendum effectum causæ hæ essentialiter sibi subordinatæ convolare dicantur. Qvod tali exemplo cum *Svarezio* probat *B. Waltherus in disp. de Concursu DEI th. 12.* Si duo ignes eidem materiæ eodem modo dispositæ applicarentur, & naturaliter agerent, qvantum possent, coinfluerent sane in unum eundemqve effectum: at uterqve ignis ageret ut causa totalis, qvia supponitur, unumqvemqve habere sufficiens principium ad totum illum effectum edendum. Qvod si in eodem causandi ordine id non implicat, nihil causæ est, cur in ordinis causandi diversitate contradictorium

rium qvid metuamus. Habemus exemplum solis concurrentis ad generationem canis, eqvi, piri &c. multo magis omnia bene sese habebunt in concursu hoc DEI cum creaturis, qvæ cum Scriptura S. qvam optime conveniunt. *Objic.* (*III*) Non posse v. g. animam nostram efficientem causam esse suarum actionum, cum nesciat, qvo pacto cogitet, velit, & alia agat. *Resp.* (1.) ab ignoratione modi ad negandam rem ipsam N. V. C. (2.) Hæc ignorantia statui in qvo hæret, imprimis post lapsum, & voluntati divinæ ejus cum corpore unionem sic ordinanti est adscribendum. Ceterum utiqve animam suarum actionum efficientem causam esse, ex iis, qvæ in præced. §. diximus, satis jam patebit. *Objic.* (*IV.*) Doctrinam hanc promovere qvam maxime pietatem. *Resp.* Experientia testatur istiusmodi minus fundatas speculationes plane nihil hic juvare. Imo nonnisi ad Fanaticismum & non ad veram pietatem ducunt. Qvemadmodum sic novimus Fanaticos eâdem hâc doctrina fuisse usos, & ad absurdissima qvævis eandem applicasse. Sic namqve *Seb. Franc. in paradoxis* Lit. D. 3. a. docet: Was einer thun will / das thut und will GOtt in ihm. Lit. X. 2. b. GOtt muß sich in uns selbst bitten / fürchten und anbehten. S. 1. b. Die Creatur thut nichts / sondern wird gethan / wie Gott durch ein jedes thut / also thut es. Der Vogel singt und fleucht eigentlich nicht / sondern er wird gesungen / GOtt ist es der in ihm singet. Unde nunc & lit. G. 1. a. b. nefandum hoc seqvitur dogma. GOtt ist eine Ursach des falls Adæ und der Sünde. Detestanda certe pietas.

Qv. IV.

NUM REGNUM DEI AD EJUS PROVIDENTIAM SPECTANS, SE ETIAM EXTENDAT AD RES INANIMATAS, IRRATIONALES, & ATHEOS?

§ I.

NEgavit id qvondam *Thomas Hobbes in Leviath. c. 31. p. m. 167.* item *tr. de Cive c. 15. art. 2. p. m. 246.* ubi ita: *In regno igitur DEI pro subditis habemus non corpora inanimata, neque irra-*

tionalia; licet potentiæ divinæ ſubjiciantur, qvia præcepta & minas DEI non intelligunt, neqve etiam Atheos, qvia DEum eſſe non credunt. Nimirum hæc Hobbeſii mens eſt, regnare proprie ſumto verbo, eſſe imperando, minando, promittendo regere, atqve hinc dicta objecta proprie non ſpectare putat ad regnum DEI, Deumqve non niſi metaphorice ſaltem in ea regnare dici poſſe. Hobbeſium refutavit Maxime Rev. ac Celeberrimus Dn. M. *Frider. Chriſtian. Bucher in doctiſſimâ diſp. de regno DEI per naturam à falſis Hobbeſii hypotheſibus vindicat. Gedani Ann. 1686. hab. n. 21. p. 29. ſqq.* vide & *Gisbert Cocqvium in Hobbeſianiſm. Anatom. c. 19. p. m. 271. ſqq. & Heidegger. in Corpore Theol. Chriſt. Loc. 7. n. 43. Tom. 1. p. m. 260. ſqq.*

§. II. Prænotamus nos (1.) Loqvi *Hobbeſium* nec de regno DEI *Gloriæ*, nec *gratiæ* nec *potentiæ*, qvod ad omnes creaturas ſeſe extendit, ſed tantum de *regno* DEI, qvod ſuper *homines* exercet. Adeoqve (2.) non de regno DEI in *ſenſu Biblico* aut *Theologico* ſed in ſenſu *Philoſophico* ac *peculiari*. Qvibus prænotatis dicimus (1.) *Licet qvidem ad regnum DEI in ſenſu Hobbeſiano ſumtum, non ſpectent res inanimatæ ac irrationales, utiqve tamen ad illud ſpectant Athei.* Prob. (1.) qvia & *Athei* ſunt homines rationales à DEO creati & conſervati: Cum ergo ad homines rationales à Deo creatos & conſervatos ſpectet regnum DEI, non diffitente ipſo *Hobbeſio*, omnino & Athei huc ſpectabunt (2.) qvia & Athei ſemper ſub lege DEI naturali ſunt, & licet excutere conentur jugum, tamen nec ipſi legis naturalis obligationem in ſe extirpare, nec Deus ſe jure in illos abdicare, aut in eos, qvi ſui imperii capaces ſunt, non uſurpare imperium poteſt. Nec negligentia & inobedientia ſubditi derogat imperio legitime regnantis. (3.) Qvia Atheismus eſt crimen læſæ Majeſtatis divinæ, fatente ipſo *Hobbeſio de Cive c. 14. n. 20. & c. 15. n. 19.* Ergo lege Majeſtatis divinæ tenentur, & ſubditi ſunt. (4.) Qvia re ipſa conſpiciuntur juſtiſſima DEI judicia in Atheos. E. DEus in eos jurisdictionem habet, tanqvam in ſuos ſubditos. Poena enim præſupponit ſemper violationem legis, illius a qvo poena conſtituta. (5.) Qvia alias ſeqveretur, regnum DEI proprie ſic dictum pendere à voluntate hominum. Qvod tamen abſurdiſſimum, cum ſic regnum DEI ſaltem eſſet precarium. Dicimus (II.) *Regnum DEI ſi ſumatur in ſenſu Theologico & Biblico, tum omnino & res*

inani-

inanimatæ ac irrationales propriè ad illud ſpectant. Prob. (1.) à clariſſima Scripturæ S. litera *1. Chron. XXX.* (vel juxta alia exemplaria *XXIX,*) *11. 12.* ubi expreſſe DEUS dicitur *regnare ſuper omnia.* Sic & *Pſ. CIII, 19.* regnum ejus dicitur regnare *ſuper omnia.* Ecqvis autem dixerit, loca hæc non eſſe *proprie* intelligenda, cum à proprietate literæ ſine prægnanti cauſa non ſit recedendum. (2.) Qvia Sacer Codex ſanaqve Theologia tria ſaltem novit regna DEI, eaqve qvidem proprie ſic dicta. Juxta hypotheſin autem *Hobbeſianam* & qvatuor erunt regna, *& regnum potentiæ* non erit *regnum proprie ſic dictum.* Utrumqve fundamento caret. (3.) Qvia & creaturas irrationales ac inanimatas regere ſumma qvædam eſt in DEO perfectio. Jam vero perfectiones DEO non *metaphorice*, ſed *proprie* competere ſolent. (4.) Qvia DEus regimen, ac dominium utile proprie ſic dictum & homini conceſſit in creaturas inanimatas & irrationales *Gen. I, 28. c. IX, 2. 3.* multo magis ergo regimen hoc & dominium illud directum DEO competet *propriiſſime.*

§. III. Contra *Theſin* noſtram *primam Objic. (I.)* Atheos nec DEum nec ulla præcepta ejus agnoſcere, adeoqve non eſſe in regno DEI. *Reſp.* (1) Neg. Conſeqventia. Rebelles alicujus regni nec Regem nec præcepta ejus agnoſcunt; nihilominus tamen manent ſubditi, licet rebelles, in qvos autem Rex ſevere animadvertit. Multo minus id hic valebit in regno DEI, qvod alias revera erit precarium, de qvo *Alexander M.* dixit, *mori præſtare, qvam precario regnare.* (2.) Athei licet qvidem DEum non eſſe probare conentur, & optent, præcepta etiam ejus excutiant, id tamen ſemper fit reclamante conſcientia. Tales enim Atheos, qvi ſerio nullum agnoſcant DEum, nullamqve legem, ita ut in conſcientia ſua ſint convicti, ordinarie nec dari, nec dari poſſe, alibi jam probatum dedimus. *Objic. (II.)* Atheos hoſtes eſſe, non ergo ſubditos. *Reſp.* Non repugnat hoſtem eſſe, & ſubditum. Omnes peccatores voluntarii & malitioſi ſunt hoſtes DEI; &tamen ſunt ſubditi. Qvare diſtinguendum eſt inter ſubditos morigeros ac immorigeros, obedientes, qvietos, & rebelles, æqve uti etiam comparatum eſt in ſocietate paterna cum liberis. Contra *Theſin ſecundam* objicitur potiſſimum hocce: *regnare proprie eſſe imperando minando promittendo regere*, hinc ergo res inanimatas ac irrationales non poſſe eſſe ſubditos,

qvia præcepta divina non intelligunt. *Resp.* (1.) ita qvidem *Hobbesius* terminum sumit, & in hoc sensu etiam omnia bene sese haberent; at vero famosus vocis significatus & contrarium jubet: Nauclerus proprie navem, & auriga currum regere dicuntur. Qvod tamen non fit loqvendo; sed agendo; Princeps proprie qvoqve regnat supra castella, mœnia fundos &c. licet id itidem non fiat loqvendo. Plures igitur modi sunt, qvibus proprie regitur & regnatur, qvam imperando verbis, minando, promittendo. (2.) Neqve hic absolute omne verbum DEI & imperans & comminans excludendum est, qvippe DEus sustinet omnia verbo suo potente *Hebr. I, 3.* Ipse dicit & est, qvicqvid est, ipse præcipit & existit *Ps. XXXIII, 9.* ille minatur venen. mariq; *Matth. VIII, 20.* Auscultant etiam *v. 27.* & obediunt ei omnes creaturæ, suo scilicet modo, licet ratione destituantur.

Qv. V.

NUM DEUS CONCURRAT ETIAM AD MATERIALE PECCATI?

§. I.

NOn ita pridem *Petrus Chauvin in Libro de Naturali Relig. Roterod. Ann. 1693.* impress. *part. 1. c. 17. p. m. 211. sqq.* recte qvidem asserit, DEum nullo modo esse causam peccati, at vero simul qvoqve eo dilapsus est, ut distinctionem illam inter *materiale* ac *formale peccati* penitus tollat, Deumqve ad materiale actionis malæ & ad motum illum physicum generali influxu concurrere neget. Refutavit eum Dn. *D. Francisc. Buddeus in disp. sua inaug. de capitibus qvibusdam fidei, de qvibus Petr. Chauvinus, Vrignyusqve inter se contendunt c. 6.* Habetur hæc disputatio nunc etiam in Ejusdem *Parergis.*

§. II. Nos præsupponimus (1.) sermonem esse non de *formali*; sed de *materiali* peccati, qvod est motus ille physicus qvi actionibus moralibus semper solet esse conjunctus. (2.) Sermonem esse de *materiali* peccati *remoto*, & *generico*, non *proximo*. Qvo in sensu B. *Scherzer, in Breviar. Theol. Hülsemanniano enucleato p. m. 242.* explicat *Hülsemannum*, qvi negavit, DEum concurrere ad materiale peccati.

(3.) Ser-

(3.) Sermonem esse de *materiali* peccati non in *prædicamento relationis*, ad qvod itidem DEus non concurrit; sed in *prædicamento qvalitatis*. (4.) Sermonem esse de concursu qvodam non *determinato* ac *specifico* & *particulari* qvodam influxu; sed de concursu *indeterminato* ac *indifferenti* & influxu *generali*. Qvibus præsuppositis dicimus: *Ad motum illum Physicum, seu materiale actionis malæ omnino se qvoqve extendit concursus ille DEI generalis*. Prob. (1.) Qvia hic motus est physicus ac in se indifferens. Cum nunc ergo DEus ad omnes motus & actiones naturales concurrat, teste Paulo *Act. XVII*, 24. omnino & ad præsentem motum generali suo concurret influxu. (2. Qvia sententia hæc absurdi nihil in se continet, & DEus utiqve immunis manet à causalitate ipsius peccati, qvod qvoad formale & specificum suum esse totum totumqve est à causa particulari, ut DEus sic plane nullo modo peccati possit dici causa vel auctor. (3.) Qvia alias facile concursus DEI & ad reliqvas actiones naturales & physicas negari posset, (4.) à consensu orthodoxæ Ecclesiæ.

§. III. *Objic.* (*I.*) A motu isto physico abstrahi non posse ἀταξίαν. *Resp.* Cur non? Sic namqve non per abstractionem saltem *metaphysicam*, ut putat Dn *Chauvin*: sed & *realiter* omnino ἀταξία illa à motu illo physico differt, ut patet ex exemplis. Sic namqve si illa extensio manus, qvæ facta est ad furandum vel occidendum, facta fuisset ad laborandum, sane ἀταξία motui huic physico non adhæsisset. Deinde & differentia ex eo satis elucet, qvod ἀταξία faciat actionem qvandam specificam ac particularem, atqve adeo à causa particulari est, ut in reliqvis specificis actionibus tam naturalibus, qvam moralibus omnibus; motus vero ille physicus est actio illa generalis & subjectum aliqvod, qvod deinceps ab accedente ἀταξία ceu formali suo denominatur. Cum igitur nunc materiale non sit inferendum in formale, nec utrumqve confundendum, hinc abstractio & realis omnino hic aperta est. *Objic.* (*II.*) peccata nostra manare proprie à nostris cogitationibus. *Resp.* Et cogitatio in se spectata est motus vel actus indifferens, qvi vel bonus vel malus fit ob objectum, circa qvod versatur, & à modo qvo circa objectum versatur. Nihil ergo obstat, qvo minus & in cogitationibus materiale à formali sejungamus. Qvando nunc ergo peccata manant à cogitationibus, tum intelliguntur malæ cogi-

cogitationes, qvæ adeo non amplius materialiter spectantur, & prout ad eas DEus concurrit concursu suo generali; sed formaliter, & prout tantum sunt ab homine, ceu causa particulari ac determinante.

Qv. VI.

NUM MIRACULA BIBLICA FACTA PER VIM NATURÆ, ET NUM ETIAM DIVINI QVID INDICENT?

§. I.

AD *Providentiam* DEI *extraordinariam*, qva supra & contra institutum à se ordinem DEus sæpe operatur, spectant etiam *miracula*. Qvæ autem ab Atheis ac Empæctis semper arrosa fuerunt, causis potissimum naturalibus adscripta. Sic olim *Pomponatius libr. de incantat. p. 182.* docuit, & *p. 216.* putat, per causas naturales excitari posse mortuos. *Thomas Hobbes. in Leviathan peculiare caput*, nempe *trigesimum septimum p. m. 203. sqq.* habet de *miraculis*, in qvo videtur miraculum habere pro operatione qvâdam DEI immediata, & cujus causas naturales nos non concipimus, non tamen pro opere qvodam supra naturam; sed saltem præter operationem naturæ in creatione ordinatam *p. 205.* habet, & miracula pro notis veri Prophetæ haberi posse negat, cum & incantatores Ægyptii miracula fecerint. vid. *in Leviath. c. 32. p. 135. Benedictus Spinoza in tr. Theolog. Politic. c. 6. p. m. 67. sqq.* miracula vocat opera naturæ insolita à vulgo saltem sic miracula dicta, nihil contra naturam contingere, miracula esse (qvemadmodum & *Hobbesius* docebat, qvorum causam naturalem saltem explicare non possumus, nihilominus tamen miracula omnia fieri revera ex naturæ legibus ordinariis posse qvoqve fieri à falsis Prophetis, nec *existentiam* nec *essentiam* nec *providentiam DEI* ex iisdem posse cognosci, mox & miracula Scripturæ S. perverse ac blaspheme explicare conatur. Idem agit *Isaacus Peyrerius in System. Theol. ex Præadamitar. Hypothes. l. 4. c. 2. 3. 4. 5. & 6.* ubi tenebras in morte domini factas, stellam qvæ apparuit magis, miraculum Ezechiæ ægrotantis, solis tempore Josuæ stantis, aliaqve ex causis naturalibus deducere allaborat. *Dn. Bernhardus Connor Medicus Londinensis*

Anno

Anno 1697. Londini edidit *Evangelium Medici seu Medicinam Mysticam de suspensis naturæ legibus, sive de miraculis*, qvi tractatus *Anno 1706. Jenæ* est recusus. Et hic auctor minus sobrie de miraculis philosophatur. Sic namqve *p. m. 2.* dicit, *congruum sibi visum esse, juxta motus leges, & juxta Medicinæ principia miraculorum naturam investigare.* Hinc art. 4. explicare conatur peculiarem qvendam statum hominis, qvem vocat super naturam seu miraculosum p. 24. scribens: *Qvidni igitur perpendamus, utrum miracula, qvæ circa corpus humanum nobis traduntur cum corporis humani fabrica, & cum ratione conciliari possent?* Item *p. 27. effectus naturales vere supernaturales & miracula* vocat. Sic & *art. 6.* docet humanâ mente utiqve concipi posse *modum*, qvo producuntur miracula, nempe ex *motibus, seu legibus naturæ suspensis*, qvare *p. 41. miraculum* recte definiri posse putat per *effectum suspensæ Naturæ seu motus lege productum.* Ex qvo principio jam in subseqventibus articulis varia miracula Scripturæ S. itidem perverse ac abjecte nimis explicare, eorumqve modum juxta principia naturæ ostendere conatur. Pariter & miracula qvamplurima nimis extenuare conantur *Nehemias Grew in Cosmologia S. or a discourse of the universe Londin. Ann. 1701. edit. l. 4. c. 5. l. 5. c. 3.* Celeberrimus qvidam *Philologus Helmstadiensis* in variis Schedis idiomate Gallico editis & *Dnn. Observatores Hallenses.* Non ita pridem qvoqve in Anglia Dn. *William Fleetwood Concionator Regius aulicus* edidit scriptum aliqvod de *miraculis*, qvod *Anno 1705.* ex *anglicano* idiomate in *germanicum* translatum *Lipsiæ* edidit, Dn. *M. Johann. Ulric. Henrici.* Varia hic de miraculis disputantur, qvæ bene sese habent, inter alia autem & naturæ nimium tribuere videtur, cum miracula qvædam per qvendam naturæ cursum fieri posse asserit. Sic namqve *p. m. 113. sq.* scribitur. Und glaube ich feste / daß wir nimmermehr bey der Untersuchung so frembder und seltzamer Dinge zu einer Gewißheit werden gelangen können / wann wir nicht den bekandten ordentlichen / und von GOtt einmahl gemachten unveränderlichen Lauff der Natur zur Regel und Richtschnur / wornach die Wunderwercke beurtheilet werden müssen / setzen. Und glauben sie sicherlich / daß ich die Verwandlung des Wassers in Wein / und des Stabes in eine lebendige Schlange für ein weit

gröſſer Wunderwerck halte / als wenn ich mit meinen Augen einen hohen Berg 2. gantzer Meilen oder noch weiter fortrücken ſehe / und dieſes aus keiner andern Urſache / NB. weil ich nicht weiß / wie weit / ſich die Gewalt der Natur in dieſer oder jener wunderlichen Begebenheit erſtrecke etc. Et *Burmannum Spinoziſmi* hic arguit *Limborch in Theol. Chriſt. p. m. 93.* Sed Patrem ſuum vindicat filius *Franc. Burm. in Burmannor. piet. p. 106.* Contra *Hobbeſii* doctrinam de miraculis vide *Edward Earl of Clareudon in a brief view and Survey of the Dangerous and pernicious Errors to Church and State in Monſ. Hobbes Book entitled Leviathan p. m. 214. ſqq.* Item *Joh. Templer in idea Theol. Leviath. dogm. 18. p. m. 118. ſqq. William Lacy Anſwer to Monſ. Hobbeſ. his Leviathan part. 2. c. 22. p. m. 177. ſqq.* Contra *Spinozam* vide *B. Dn. D. Schomeri Colleg. Noviſſim. Controverſ. c. 1. §. 13. p. 10. ſqq. Franciſc. Cuperum in Arcanis Atheiſm. revelat. l. 1. c. 6. p. m. 54. ſqq. Joh. Henr. Heidegger in Exercitat. Bibl. Tom. 1. Diſſert. 10. n. 53. ſq. p. m. 336. ſqq.* Contra *Peyrerium* vide *J. Pythium in Reſponſ. Exetaſtica l. 1. c. 15. ſqq. p. m. 55. ſqq. B. Dn. D. Dannhawer in tr. Præadamita Utis p. m. 66. ſqq. p. 518. ſqq. 522. ſqq. Connor. Fletwoodum* aliosqve breviter qvoqve notavit, *Magnif. Dn. D. Val. Erneſt. Loeſcher in Prænotion. Theol. p. 222. ſqq.* conf. & *William Nicholls Conference with a Theiſt. part. 2 p. m. 218. ſqq.* & *Maxime Rev. Dn. Henrici Aſcanii* Engelcken *Collegæ Fautoris ac Amici noſtri longe honoratiſſimi diſp. Doctiſſimam de Miraculis. Dn. Calvorii Gloriam Moſis*, aliorumqve peculiares diſputationes peculiaria miracula vindicantes.

§. II. Prænotamus nos (1.) ſermonem eſſe non de *miris* qvibusdam & à Dæmone effectis, ſed de *miraculis ſtricte* ac *propriiſſime* ſic dictis. (2.) Non eſſe ſermonem de *miraculis apparenter*; ſed *vere talibus* in re verâ conſiſtenti, & ſolidâ e. g. virgæ Moſis converſione, & vi mirifica, ſolis vera ſtatione, retroactione, obtenebratione, aqvæ in vinum mutatione, mortuorum excitatione, & iſtiusmodi aliis. (3.) Sermonem eſſe non de *mirabilibus* qvibusdam *peregrinis*, ſed potiſſimum *Biblicis*. (4.) Non eſſe ſermonem de *viribus naturæ naturantis*, ſed *naturatæ*. (5.) Non eſſe ſermonem de excluſione omnium cauſarum ſecundarum in omnibus miraculis; ſed de ordine naturæ non immutato. (6.) ſermonem eſſe de collatione miraculorum cum naturâ; non ut oſtendatur, eam ſuperare; ſed ut cum

ea

ea concilientur. (7.) Sermonem esse de miraculis non *solitarie* spectatis; sed *verbo* veritatis annexis. Qvibus prænotatis dicimus (I.) *Miracula propriissime sic dicta non fiunt per vim naturæ.* Prob. (1.) qvia mens humana causas naturales ac ordinarias, qvam solertissime etiam indaget, nullas tamen invenire potest. v. g. Seligas miraculum illud, qvod præ reliqvis omnibus qvilibet venerari debet, nempe resuscitationis mortuorum, qva homines revera mortui revera iterum in hanc vitam fuere revocati, ut res vera consistens & solida in dubium vocari neqveat, componas id cum naturæ viribus; Eodem modo fac periculum in miraculo illo, qvo baculus qvidam ligneus revera in serpentem fuit mutatus, & qvæ sunt istiusmodi miracula alia, & fateberis, rationem nullam naturalem reperiri posse; nec in ullius creaturæ potestate esse, propria auctoritate istiusmodi qvid efficere. (2.) A clarissima Scripturæ litera, qvæ miracula tribuit soli DEO *Ps. LXXII, 18. Ps. LXXVII, 15. Ps. CXXXV, 4. Joh. III. 2.* ita ut inter omnes creaturas DEus hic non habeat parem, qvi istiusmodi qvid agere possit *Exod. XV, 11.* Ergo utiqve miracula transcendent omnes vires naturæ. (3.) Ab ipsa magorum confessione, qvi miracula digito DEI tribuunt *Exod. VIII, 19.* qvi est immediata illa virtus DEI evidentissima, & non operatio qvædam naturæ *Luc. XI, 20.* (4.) Qvia nulla unqvam creatura ex viribus propriis miracula produxit vere talia. Sic v. gr. Diabolus, licet mirabilia multa præstiterit, nunqvam tamen legitur vere mortuos vere resuscitasse. Si ergo hoc non potest, nec alia miracula vere talia in re solidâ & constanti efficere potest; atqve adeo ex naturæ viribus, qvas Diabolus qvam maxime callet, miracula nulla fieri possunt. (5.) Qvia miracula proprie sic dicta hunc habent finem, ut rationem omnem convincant, non à naturâ qvid esse; sed unice à DEO. Hinc bene *Toletus ad Joh. 3. annot. 2. p. 241. ex Gregorio M.* monet: *Miracula sunt in defectum probationis, & sunt auxilium rationis humanæ, ut assentiat alicui veritati, supplentqve argumentorum defectum: sunt enim velut sigillum DEI, ut qvod affirmatur, à DEO esse credatur.* Non ergo ex viribus naturæ fieri poterunt. Dicimus (II.) *Hinc nec miracula cum Natura concilianda sunt* (1.) ex modo jam adductis rationibus. (2.) Qvia ipse DEus hoc studium improbat, & ceu ineptum rejicit *Jes. XL, 12. sqq. Job. XI, 7. sqq.* Dicimus (III.)

Miracula propriiſſime ſic dicta in S. Codice occurrentia omnino DEum, ejusqve ſummam auctoritatem & Legatos indicant & legitimant Prob. (1.) qvia modo jam probatum dedimus, ſoli DEO competere miracula, & à nemine niſi à DEO illa oriri poſſe. Cum nunc effectus teſtetur de ſua cauſa, & origine, idem illud & hic miracula præſtabunt. (2.) Qvia miracula hæcce ſemper cum doctrina vera immediate Θεοπνευς῾ω fuere conjuncta. (3.) Nunqvam malum habuere ſcopum: ſed ſemper ad DEum duxerunt. (4.) Qvia ſi miracula contra omnes naturæ leges, utiqve inde concluditur cauſa naturæ legibus ſuperior i. e. infinitæ potentiæ, adeoqve divini qvid hoc eſſe. Ut alia jam hac vice taceamus.

§. III. *Objic. (1.)* Omne id qvod DEus vult, ſive determinat, æternam neceſſitatem & veritatem inferre. Cum autem nihil niſi ex ſolo divino decreto neceſſario verum ſit, hinc clariſſime ſeqvi, leges naturæ univerſales mera eſſe decreta DEI, qvæ ex neceſſitate & perfectione naturæ divinæ ſeqvuntur, ſi qvid igitur in natura contingeret, qvod ejus univerſalibus legibus repugnaret, id decreto & intellectui, & naturæ divinæ neceſſario etiam repugnare. *Reſp. (1.)* Omne id qvod DEus vult æternam inferre neceſſitatem & ſemper fieri abſolute, falſum eſt. (2.) Speciatim leges naturæ univerſales eſſe à decreto divino ſuamqve neceſſitatem habere earundem nexum, non qvidem negamus. Inde tamen non ſeqvitur, qvod leges hæ etiam ab æterno extiterint, nec, qvod omnipotens ille Creator ac conſervator omnium rerum ſibi reſervare non potuerit ex extraordinariis operibus interdum oſtendere, potentiam auctoris naturæ excedere ipſam naturam. Homo ita agit, ut contraria agere poſſit eorum qvæ agit, plus ergo homo poterit, qvam ipſe DEus, qvod abſurdum. (3.) Si naturæ divinæ repugnet, & contradictorium eſt omne id, qvod particularem naturam evertit, & illi adverſatur, ut in miraculis, tum nihil amplius poterit DEus qvam qvod naturæ conforme. Cumqve natura ſaltem finita, hinc & neceſſario potentia ac virtus DEI itidem finita ſaltem foret. Qvod denuo abſurdum. Conf. hic *B. Balth. Meiſner, in Philoſ. Sobr. part. 1. ſect. 4. c. 9. qv. 5. p. m. 1171. ſqq.* & *B. Jacob. Martin. tr. de Loco l. 2. p. m. 651. ſqq. Objic. (II.)* Miracula omnia fieri ex cauſis naturalibus, v. g. reductio maris ſupra Ægyptios facta eſt vi venti &c. *Reſp. (1.)* Ita & omnia miracula facta eſſe probari neqvit. Qvomodo enim id

applicari

applicari poterit ad ſtationem ſolis, reſuſcitationem mortuorum &c. (1.) In miraculis non ſemper qvidem excluduntur omnes cauſæ ſecundæ, reqviritur autem, ut particularis ordo naturæ ad ſpeciale qvoddam imperium divinum immutetur, qvo producatureffectus, vel ejus cauſa v. g. in adducto miraculo ventus tam vehemens. *Objic.* (*III.*) Non tantum miracula omnia; ſed etiam ſolita & communia naturæ Phænomena à DEO unice & immediate produci. Non ſatis igitur eſſe, dixiſſe, DEum eſſe unicum rerum omnium & effectuum tum naturalium tum ſupernaturalium authorem & cauſam; ſed ulterius inqvirendum eſſe, qvomodo immenſa ipſius potentia corporibus vere applicatur. Nimirum omnes naturæ effectus juxta ſtatutas motus leges peragi, qvarum præcipuæ ſunt (α) *corpus qvod movetur ab alio corpore movetur.* (β) *Corpus in motu poſitum motum obviis corporibus, ſi molis non ſint ingentis communicat.* (γ) *Corpus in motu poſitum in motu ſemper perſiſtit, donec motum alteri corpori communicat.* Hinc communia naturæ phænomena eſſe effectus vigente hâc motus lege productos; Miracula vero à nulla corporum conditione, naturæ auxilio, aut motus lege dependere; ſed per diverſas longe imo plane oppoſitas naturæ legibus vias peragi; feriante & ſuſpenſa eadem lege, ita ut (α) *corpus moveri poſſit ſine occaſione motus alterius corporis irruentis* vel (β) *data corporis irruentis occaſione corpus poſſit non moveri*, vel (γ) *corpus in motu poſitum motum ſubito deperdere poſſit non communicato eidem alteri corpori ambienti.* Et miracula per has ſuſpenſas motus leges æqve perſpicue ſolvi poſſe, menteqve humana qvoad modum qvoqve concipi poſſe, ac communia naturæ Phænomena per ſancitas motus leges. Vide *Connor in Evangel. Med. Art. 6. p. m. 36. ſqq. Reſp.* (1.) Et naturæ Phænomena communia æqve immediate undiqve à DEO eſſe ac miracula, eſt hypotheſis illa *Malebranchiana* & à *Connore* arrepta; ſed jam ſupra ſatis à nobis refutata (2.) ſuſpenſio illa legum motus aut eſt naturalis, aut præternaturalis, aut ſupernaturalis. Non eſt *naturalis.* Ipſe enim *Conor. l. c. p. 41.* fatetur, miracula non fieri naturæ auxilio. Nec eſt ſaltem *præternaturalis:* Sic namqve & diabolus plurima mira agit, nullaqve differentia erit inter hæc mira, & miracula vere ac proprie ſic dicta. Si autem eſt *ſupernaturalis.* Ecqvid Dn. *Connor* communiorem illam doctri-

nam de miraculis exagitat, eamqve mentis humanæ judicio exponit? Qvicqvid enim omnem naturam omnemqve rationem ſuperat, illud minus recte ex humanæ mentis judicio exponitur. (3.) Totus *Connoris* diſcurſus eo tendit, ut propriam ſaltem imaginationem illam pro fundamento habeat. At vero imaginatio noſtra non eſt miraculorum divinorum menſura; ſed hæc illius noſtræ. Bene contra *Timplerum Jacob. Martini l. c. p. m. 653. ſeqviturne inde: Ego id mihi aliter non poſſum imaginari, Ergo neqve DEus aliter poteſt agere? Apage ſtulta imaginatio, qvæ ita ſupra DEum ſe elevat.* Et præced. p. 652. *Noli homo, noli inqvam hic aliqvid temere determinare ne videaris vel ſapientior DEO, vel omnino æqvalem cum eo tibi arrogare ſapientiam: ne videaris te emenſum eſſe id, qvod immenſurabile eſt, nempe infinitam DEI potentiam: O miſelle qvomodo tu ſcies, qvid DEus poſſit, cum nondum ſcias, qvid natura, vel tu ipſe poſſis? &c.* Eadem & *Dn. Connor* ſibi dicta habeat. *Objic.* (*IV.*) Miraculum eſſe opus finitum, non ergo exinde concludi poſſe cauſam potentiæ infinitæ. Sic cum Moſes apud Ægyptios produceret ranas, tenebras &c. erant omnia opera finita. *Reſp.* Si hæc opera facta fuiſſent ex viribus naturæ finitæ, argumentatio aliqvid valeret. Jam vero novimus, licet effectus fuerit finitus, modum tamen producendi qvam maxime divinum fuiſſe. Alias enim nec ex creatione argueretur DEus infinitus; qvippe & creationis effectus ſunt creaturæ, eæqve qvidem finitæ, nihilominus tamen modum producendi qvod concernit, ex hoc opere maxime infinita DEI conſpicitur potentia. *Objic.* (*V.*) Eos, qvi multa miracula viderunt, nullum tamen de DEO ſanum conceptum formare potuiſſe. *Reſp.* Negamus, eos non potuiſſe conceptum talem formare. Id lubenter concedimus, qvamplurimos ſibi hunc conceptum non formaſſe, ſed vero à negatione actus ad negationem potentiæ N. V. C. *Objic.* (*VI.*) Et incantatores Ægyptios, falſosqve Prophetas miracula feciſſe. *Reſp.* diſt. inter *miracula vere* ac *apparenter* talia, inter *miracula* & *mirabilia*. Incantatores Ægyptios non feciſſe *miracula proprie* ac *vere* talia, ſatis patet ex eo, qvod non omnia præſtare potuerint, qvæ Moſes præſtitit, & qvod Moſis Miracula expreſſe digito DEI adſcripſerint. Vide Clariſſimam literam *Exod. VIII, 18. 19.* Sic & inter miracula verorum falſorumqve Prophetarum maxima eſt differentia, qvam prolixe

expoſuit

expoſuit inter alios B. Dn. *D. Dannhawer in Meletem. de miraculis veris falſisqve §. 15. ſqq. p. m. 60. ſqq.*

Qv. VII.

NUM MIRACULA V. T. FACTA PER VOLUNTATEM DEI GENERALEM AB ANGELIS DETERMINATAM?

§. I.

Sic vult *Pére Malebranche* aux *Traité de la Nature & de la Grace Premier diſcours Premiere partie p. m. 42.* docens, miracula V. T. referenda eſſe ad voluntatem DEI generalem; ſed ab Angelis determinatam. i. e. Angelos non executos eſſe voluntatem DEI, ſed DEum obſeqvutum eſſe voluntati Angelorum, ita nempe ut DEus V. T. tempore voluntate generali voluerit, ſive lege generali ſe obſtrinxerit, ut id qvod vellent Angeli, qvos populi Judaici gubernationi præpoſuerat ipſe efficaciter præſtaret. Ex profeſſo ſententiam hanc refutavit *Antonius Arnaldus, in tr. Gallico* ſub titulo: *Diſſertation de M. Arnauld Docteur de Sorbonne ſur la maniere, dont Dieu a fait les freqvents miracles de l'ancienne Loy par le miniſtere des Anges Colon. Ann. 1685.*

§. II. Prænotamus nos (1.) ſermonem eſſe de miraculis non Novi; ſed V. T. (2.) non eſſe ſermonem de miraculis V. T. qvibusdam; Sed omnibus, (3.) non eſſe ſermonem de miraculis qvibusdam miniſterio Angelorum editis; ſed ex *voluntate DEI generali* ab Angelis determinata factis. (4.) Sermonem eſſe non de Angelo *increato*, ſed de angelis *creatis*. (5.) Sermonem eſſe non de Angelis creatis *viſibilibus* ut Prophetis, ſed *inviſibilibus*. Qvibus prænotatis dicimus (1.) *non omnia miracula V. T. facta ſunt miniſterio Angelorum creatorum*. Prob. (1.) qvia qvædam miracula facta ſunt per Angelum increatum, filium ſcl. DEI v. g. *Gen. XXII, 7. 8. 13. Exod. III, 2. Judic. XIII, 18. ſqq.* &c. In his locis autem intelligi non Angelum qvendam *creatum*; ſed *increatum*, vel ad nauſeam ferme uſqve à Noſtratibus jam probatum eſt. (2.) Qvia & alia qvædam miracula miniſterio hominum fuere edita. Qvo ſpectant miracula illa Moſis in aula Pharaonis

nis ac deserto, Josuæ, Eliæ, Elisæ aliorumqve DEI Prophetarum: Dicimus (II.) *Miracula facta in V. T. ab Angelis non fuere facta ex voluntate DEI generali determinatâ ab Angelis.* Prob. (1.) à silentio Scripturæ S. qvæ plane nihil de istiusmodi determinatione Angelicâ novit, ultra qvam vero plane nihil hâc de materia innotescit. (2.) Qvia Angeli sunt executores voluntatis divinæ antecedentis, non determinatores voluntatis hujus consequentis; vide loca clarissima *Gen. XIX, 13. 1. Chron. XXII, 15. 2. Chron. XXXII. 21. Jes. XXXVII, 33. 34. 35. 36. Ps. CIII, 20. Ps. CIV, 4.* &c. (3.) Qvia miracula & in V. T. principaliter soli DEO tribuuntur. Vide qvæ jam in *præced. Qv.* dicta sunt. (4.) Nituntur omnia incerta minusqve fundata hypothesi, qvam jam supra *qv. 3.* examinavimus.

§. III. *Objicitur* potissimum Locus *Gal. III, 19.* ubi *Lex* dicitur *ordinata per Angelos. Resp.* Ex hoc loco id unicum saltem probatur, DEum in V. T. usum fuisse ministerio Angelorum; At vero DEum neqve legem dedisse; neqve miracula patrasse suo consilio, aut voluntate, & destinatione particulari; sed solum angelorum ut causæ occasionalis consiliis & determinationibus obtemperasse, id neqve in loco adducto Paulino, neqve in ullo alio loco Biblico dicitur. Contrarium ex modo jam adductis patet.

CAP. III.
De
ANGELIS.
Qv. I.
NUM VOCABULUM ANGELI ORIGINE SIT PERSICUM?

§. I.

PRostat tractatus italicus sub titulo: *Bacco in Toscana. Ditirambo di Francesco Redi Academico della Crusca &c. Florent. Ann. 1685.* edit. ubi in *annot. p.* 47. Vocabulum *Angeli* origine dicitur esse forte *Persicum* ab *Angaris*, qvi Persis *Cursores*, vel *Missos Regis* denotant, à qvo Græci fecerint Αγγελον. §. II.

§. II. Sed vero prolixo examine hic non erit opus, cum satis superqve jam constet, vocabulum Angeli non esse origine Persicum, sed potius pure græcum. Qvod Prob. (1.) ex ipsissimis literis & Syllabis: Αγγελος ab ἀγγέλλω. Qvæ pure græca esse, nemo negare potest. (2.) Ex ipsa voce Persica *Angaris*, qvæ cognationem cum voce *Angeli* non habet. Qvod si enim à Persica hac voce nomen hoc ortum fuisset, cur non potius Αγγαρος dixissent, qvam Αγγελος (3.) contraria assertio plane nullo nititur fundamento, nisi sola conjectura; sed omni ratione destituta. Si autem ex prima Syllaba *An* qvid concludere velis, tum nescio qvæ non absurdæ vocum derivationes fieri poterunt. (4.) Qvia & nova hæc assertio plane omni destituitur auctoritate. Disp. V.

Qv. II.

NUM ANGELI NIHIL ALIUD SINT, QVAM PHANTASMATA?

§. I.

ITa nimis abjecte de Angelis sentit *Thomas Hobbes*. Sic namqve in *Leviathan c. 34. p. m. 186.* scribit. *De Creatione Angelorum in Scripturis Sacris disertis verbis nihil traditur. Scriptores igitur ecclesiastici de Natura Angelorum dissentiunt. Veterum autem Patrum aliqvot eminentissimi corporeos esse putaverunt, alii nonnulli incorporeos: Vocantur passim in Scripturis Spiritus: sed spiritus tum à Scriptoribus Judæis tum græcis modo corpora subtilia, ut aër ventus, Spiritusqve animalium, modo Phantasmata existimantur; qvæ nec realia sunt nec diutius permanent qvam somnium & visio, in qva apparent. Qvæ Phantasmata sive apparitiones etsi substantiæ non sint, sed accidentia organorum sentiendi, qvando tamen à DEO ad voluntatem suam significandam supernaturaliter producuntur, non improprie nuncii à DEO i. e. Angeli appellantur.* Eadem repetit *in Append. c. 3. p. m. 362.* Id. *Spinoza Ep. 55. p. 564. & Ep. 58. p. 569.* & jam dudum ante utrumq; sic docuerunt Sadducæi. Vide *Petav. de Theol. dogmat. Tom. 3. l. 1. de Angel. c. 1. Jo. Cloppenburg. in Exerc. super Locos Comm. Theol. disp. 8. n. 8. sq. Wilh. Momma in Prælect. Theol. Loc. de Angel. p. m. 233.*

B. Calov. in Systemate Theol. Tom. 4. p. m. 18 sqq. aliaq; Systemata passim. Contra *Hobbesium & Spinozam* vide *Cocqvium in Anatom. Hobbesianism. c. 15. Templer in idea Theologiæ Leviath. dogmat 20. & 21. p. 131 sqq. Tho. Tenison in the Creed of Monsr. Hobbes examined. p. m. 59. sqq. Heidegger in Corp. Christ. Theol. Loc. 8. n. 5. Tom. 1. p. m. 271.* Ex Nostratibus vide B. *Dn. D. Nathan. Falckii Dæmonol. Diss. 3.* & B. *Dn. D. Schomeri Colleg. Novissim. Controv. c. 6. §. 1.*

§. II. Nos præsupponimus (1.) sermonem esse de Angelis non *visibilibus* illis DEI nunciis, sed *invisibilibus* illis spiritibus, iisqve in genere tam de bonis, qvam de malis. (2.) Non esse sermonem de multis phantasti cis imaginationibus, qvas omnino sæpissime dari non inficiamur; sed de eo, qvod in ipsa sua essentia reiqve veritate tale est. (3.) Non esse sermonem de apparitionibus Angelorum in assumtis formis non permanentibus, sed de ipsa Angelorum essentia. Qvibus præsuppositis dicimus: *Angeli non sunt mera phantasmata; sed substantiæ incorporeæ spirituales, permanentes, & subsistentes.* Prob. (1.) Qvia Angeli sunt a DEO creati *Gen. II, 1.* Qvem locum nonnulli haud male de Angelis explicant, utpote qvi sunt supremi cœli exercitus *Neh. IX, 6. Luc. II, 13. Ps. CXLVIII, 2. 1. sqq. 1. Reg. XXII, 19.* conf. de creatione Angelorum *Ps. CIV, 4. & Coloss. I, 6.* Ergo non poterunt esse mera phantasmata, qvæ ad opera creationis sextiduanæ non pertinent. (4.) Qvia Angeli expresse dicuntur πνεύματα *Hebr. I, 14.* ergo non sunt Phantasmata, nec corporei. Spiritus enim materialitatis nihil in se continet, qvemadmodum in Theolog. recens *Controv. c. 1. qv. 15.* jam evicimus. (3.) Qvia Angeli jam fuerunt anteqvam homines fuerunt *Job. XXXVIII, 7.* Ergo non possunt esse phantasmata & idola cerebri humani. (4.) Qvia ipsis competunt operationes veræ reales ac permanentes. Sic namqve apparent in assumtis corporibus *Gen. XVIII, 2. Luc. I, 19. Gen. III, 1. 1. Reg. XVII, 20. sqq. Matth. IV, 1. &c.* tribuitur ipsis sapientia 2. *Sam. XIV, 20.* qvædam ignorare dicuntur *Matth. XXIV, 36.* Sanctitate sunt præditi *Job. IV, 17.* DEum laudant ejusqve præcepta exeqvuntur *Ps. CIII, 20. 21. Jes. VI, 3.* DEum noscunt, & contremiscunt *Jacob II, 19. &c.* Jam autem actiones sunt suppositorum, & adducta ita comparata sunt, ut meris phantasmatibus competere neqveant.

§. III. *Ob-*

§. III. *Objic. (I.)* Angelum qvi *Gen. XXII, 11.* Abrahamo apparuit, nil nisi vocem, atqve adeo phantasma fuisse. *Resp.* Angelus ille expresse clamasse dicitur, atqve sic non fuit nuda qvædam vox, aut phantasma. Et præterea qvoqve hic Angelus Jehovah vocatur & Abrahamo benedixit. Adeoqve in hoc loco de Angelo qvodam creato ne qvidem sermo est; sed de increato, qvi est filius DEI, qvi hac ratione juxta hypothesin Hobbesii itidem Phantasma foret. Qvod absurdum pariter ac blasphemum. *Objic. (II.)* Angelos, qvi *Gen. XXVIII, 12.* Jacobo apparuerunt, in somno fuisse visos, fuisse ergo somnium ac phantasma. *Resp.* (1.) non seqvitur. Qvicqvid in somnio video, est phantasma. Nam & ipsum DEum Prophetæ passim, & ipse Jacobus l. c. in somnio viderunt, qvi tamen propterea non statim fit Phantasma. (2.) Angeli hi dicuntur apparuisse in somnio. E. non fuerunt somnium ipsum, nisi dicere velis, somnium apparuisse Jacobo in somnio. Præterea etiam ex omnibus Historiæ illius circumstantiis, ut & ex collat. cum *Joh. I, 51.* patet, Angelos hos non fuisse mera Phantasmata. *Objic. (III.)* Angelum sæpissime vocari *DEum ipsum* ut *Gen. XVI, 7. 10. Exod. XIV, 19.* atqve adeo Angelum nihil esse aliud, qvam ideam aliqvam à DEO in Phantasia excitatam, atqve sic Phantasma. *Resp.* (1.) Ubi *Angelus ipse DEus* vocatur, indicio est, non Angelum qvendam creatum; sed increatum, seu ipsum DEum apparuisse. Frustra ergo illa loca, in qvibus de ipso Filio DEI sermo est, adducuntur de Angelis creatis, de qvibus tamen hac vice agitur. Et præterea loca illa omnia ita comparata sunt, ut sat clare appareat, non de phantasmate qvodam sermonem esse.

Qv. III.

NUM ANGELI SINT CORPOREI?

§. I.

DE antiqvioribus, qvi Angelos corporeos statuerunt vide *Petav. l. c. c. 2. p. m. 3. sq. Heidegger in Corp. Theol. Christ. Loc. 8. n. 6. Tom. 1. p. m. 272. sq. B. Calov. in System. Theol Tom. 4. p. m. 33. sqq.* & systemata nostratium passim. Antiqvum hunc errorem recentiores nonnulli renovare student. Sic namqve ab eodem

non videtur procul abesse *Petr. Poiret*, qvi in *Cogitation. Rational. l. 1. c. 7. p. m. 67.* infra in notis, qvando de Angelis moventibus corpora disputaverat, jam addit: *Hæc dicuntur juxta communem opinionem videlicet, qvod ad Angelorum naturam mens sola, nullum vero corpus pertineat. Qvanqvam sint, qvi naturam Angelicam mente & corpore constare ajunt. Qvæ sententia eqvidem à sanctis scripturis, adeoq; ab ipsa veritate non parum videtur confirmari: atqve si vera esset tunc moveretur Angelus ratione essentiæ sui corporis, non autem ratione essentiæ suæ mentis &c.* Non ita pridem, nempe *Ann. 1706. Londini* prodiit *The Just scrutiny or a serious enqviri into the modern notions of the soul. &c.* Auctore *W. C. M. D.* qvi est *Dn. Coward Medicus Londinensis.* Qvo in scripto omnem spiritum creatum statuit materialem, atqve sic Angelis qvoqve corpora tenuia attribuit *p. 103. sqq.*

§. II. Præsuponimus nos (1.) sermonem esse de Angelis non *visibilibus* illis DEI nunciis, sed *invisibilibus* illis DEI creaturis. (2.) Sermonem esse de Angelis & *bonis* & *malis*. (3.) sermonem esse de essentia corporea in *famoso suo significatu*, & prout essentiæ *immateriali* opponuntur. (4.) Sermonem esse de Angelis non in assumtis corporibus suis; sed in essentia sua consideratis. Qvibus præsuppositis dicimus: *Angeli non sunt essentiæ corporeæ.* Prob. (1.) à clarissima Scripturæ S. litera, qvæ Angelos vocat Spiritus v. g. *Ps. CIV, 4.* (qvod dictum contra Adversarios egregie vindicatum vide ap. *Calov. l. c. p. 36.*) *1. Reg. XXII, 21. Matth. VIII, 16. Hebr. I, 14.* vocabulum autem hoece nihil materialitatis in se continêre, probavimus in *Theol. recens Controv. c. 1. qv. 15.* (2.) qvia Angeli τῶν ἀοράτων nomine comprehenduntur *Coloss. I, 16.* Ergo omnino spirituales erunt, qvia invisibilitas attributum est spirituum immaterialium. (3.) Qvia Angeli habentur pro intelligentiis & mentibus, vid. *Meier. Pneum. p. m. 625. sqq.* Sed harum natura partium integrantium compositionē non admittit. Nam partes ejusmodi vel singulæ æqvaliter intellectivæ erunt, vel dependenter ab aliis. Si *prius*, virtus intellectiva indivisibilis erit, nec ad eam extensio partium determinata essentialiter pertinebit; cum tota adæquate in minori salvetur. Omnis enim res, cujus qvidlibet adæqvate totum esse potest, simplex indivisibilis, adeoqve incorporea est, qvia alias

partes

partes qvælibet essentialiter superfluæ forent. Si *posterius* partes per se non intellectivæ component totum intellectivum, qvod æqve absurdum est, ac si dicatur, totum extensum ex partibus non extensis calidum ex non calidis componi. (4.) Qvia in uno homine legio dæmonum extitit *Marc. V, 9.* qvod citra dimensionum penetrationem, si Angeli corporei essent, fieri non potuit. (5.) Consensum antiqvitatis prolixius adddit *Peta v. l. c.*

§. III. *Objic.* (*I.*) Scripturam testari, omnes Angelos corporaliter apparuisse & per proprietates corporeas innotuisse. *Resp.* (1.) Non valet conseqventia. Qvippe & ipse DEus interdum corporaliter seu in assumto qvodam corpore apparuit, qvi tamen propterea pro corporeo non habendus est. (2.) Dist. inter proprium corpus & alienum seu assumtum, Angeli cum innotuerunt, id non in proprio corpore, qvod ad essentiam eorundem spectaverit; factum fuisse; sed in alieno & assumto saltem, ex omnibus apparitionibus satis videre est. Imo & hoc corpus non fuisse de essentia Angelica ex argumentis nostris pro immaterialitate Angelorum adductis patebit. *Objic. (II.)* Angelis tribui motum localem *2. Petr. II, 4. Job. II. Resp.* dist. inter motum corporibus, ac motum Spiritibus convenientem, item inter motum *physicum* ac *metaphysicum*, hic competit Angelis, non *ille*, pariter & inter esse in Ubi *circumscriptive*, & *definitive* distinguendum erit, hoc prædicatur de Angelis, non itidem illud. Vide Pneumaticos & Theologos passim.

Qv. IV.

AN TOTA ANGELORUM ESSENTIA CONSISTAT IN COGITATIONE, ADEOQVE ET OPERENTUR PER MERAM COGITATIONEM ET VOLUNTATEM?

§. I.

SIc docent Theologi Cartesiani. *Wittichius in Theol. Pacif. §. 175. p. m. 147.* hæc habet: *ex analogia & convenientia mentis nostræ judicabimus de Angelorum natura & actibus, de qvibus Scriptura passim loqvitur. Imprimis vero intelligimus, angelos cum sint naturæ cogitan-*

cogitantes in hoc differentes à mentibus humanis, qvod sint à corpore liberæ, non posse aliter esse in ubi & loco, nec aliter posse moveri, qvam respectu suarum operationum. Et §. 177. p. m. 149. ita pergit: *Hæc vero nihil differunt, Angeli totam naturam in cogitatione consistere, & esse rem cogitantem. Amplius autem posse Angelos, qvam cogitare, Scriptura nusquam dicit. Describit eos tanqvam principatus & potestates valentissimos robore dicit, miramqve virtutem ipsis attribuit; sed non dicit, istam virtutem, istud robur, aliud qvid esse præter earum voluntatem à qva cum proficisci qveant ea opera, qvæ ab iis producuntur voluntas; ista sub ratione potentiæ virtutis & roboris consideratur.* Idem & propugnat *Wittich. in Theol. Pacif. defensa n. 298. p m. 451. sq. & n. 304. p. 460 sq.* Sic & *Burmann. in Synops. l. 1. c. 45. §. 11.* scribit: *Sunt autem Angeli substantiæ spirituales, s. intellectuales, qvarum essentia in cogitatione consistit.* Idem dogma profitentur *Joh. Braun in doctrin. fœder. Vol. 1. part. 2. Loc. 5. c. 11. n. 5. & 9. p. m. 174. sqq. Anton. le Grand in institut. Philos. Part. 3. c. 1. n. 1. 3. 4. p. m. 173. sqq. & c. 4. & 4. p 182. & p. 185.* aliiqve. Et *Petrus Allinga in Erotem. Illustr. decad. 11. Erot. 2. p. m. 326.* docet essentiam Angelorum consistere in *cogitatione*; *Erotemate* autem *5. p. m. 334.* putat non adeo vere imputari *Cartesianis*, qvasi asserant, Angelos stupenda sua opera perpetrare sola cogitatione, propterea qve qvædam pro vera Cartesianorum sententia affert; qvæ vero tandem omnia huc redeunt, ut *artic. 6. p. 335.* hanc ponat thesin: *itaqve nulla est ratio, qvæ prohibet dicere Angelos stupenda sua opera perpetrare per voluntatem ipsorum consideratam per modum potentiæ.* Ecqvid ergo falsi Cartesianis imputatum sit, ego qvidem non video. Vide & Eundem *Allingam in Face diffidii extinct. c. 57. p. m. 120. sqq. & c. 58. p. 123. sq.* Contra Cartesianos vide *Sam. Maresi. in System. Theol. L. 5. §. 35. Melch Leydekker in Face Veritat. Loc. 7. controv. 1. & 2. p. m. 301. sqq. Petr. van Mastricht in Novitat. Cartesian. Gangr. sect poster. c. 22. n. 7. sqq. p. m. 401. sqq. it. c 24. n. 7. p. 416. sqq.* & B. *Jo. Adam. Osiandr. in Colleg. Considerat. in dogmat. Theol. Cartes. c. 10. th. 1. p. m. 188. sqq.*

§. II. Præsupponimus nos (1.) non qværi: an Angeli *cogitent?* Sed num in *Cogitatione* tota ipsorum consistat *essentia* ac *natura?* (2.) Ser-

(2.) Sermonem esse non de omnibus voluntatis angelicæ actibus; sed de iis, qvi ut ipse *Allinga l. c.* loqvitur *tendunt in hoc vel illud objectum ut hoc vel illud peragatur* opus. Hinc dicimus (I.) *Essentia Angelorum tota non consistit in cogitatione.* Prob. (1.) Qvia cogitatio est actio, qvæ certum agendi principium debet habere; sed in actionibus & effectis consistere essentiam agentis absurdum est. Qvam absurdum igitur est, cogitationem esse substantiam, tam absurdum qvoqve est, substantiam qvandam esse cogitationem. (2.) Cogitationes Angelorum sunt variæ, & multiplices. Sed essentia cujusqve Angeli saltem est unica. (3.) Cogitationes Angelorum non per se subsistunt. E. nec substantiam qvandam per se subsistentem possunt constituere. (4.) Cogitationes Angelorum non sunt permanentes; Sed transeuntes, non ergo essentiam qvandam permanentem constituere possunt. (3.) Angelis istiusmodi competunt effectus, qvi per cogitationes fieri non non possunt. De qvibus mox. Sic enim dicimus (II.) *Opera & effectus Angelorum non procedunt per meram cogitationem & voluntatem.* Prob. (1) Qvia operari per meram voluntatem & jussionem potentissimam solius DEI est perfectio. (2.) Voluntas Angeli non est immediatum principium effectivum operationum ad extra. Aliàs enim ejus voluntas qvâ voluntas, foret potentia, & positâ Voluntate Angeli poneretur effectus volitus, imo, qvicqvid vellet, posset Angelus, atqve sic foret omnipotens. (3.) Qvia operationes qvædam Angelorum ita sunt comparatæ, ut cogitationibus adscribi neqveant. v. g. *Ministerium, custodia, prostratio primogenituræ in Ægypto, prostratio Castrorum Assyriorum.* Ecqvis dixerit per meram cogitationem hæc omnia fuisse facta, cum sint operationes partim externæ, partim transeuntes, pariter & violentæ, cum cogitatio tamen sit actio interna & immanens?

§. III. *Objic.* (I) Cogitationes perpetuas pertinere ad naturam Spirituum semper actuosam & viventem. *Resp.* Sed inde non seqvitur, totam eorum naturam in cogitatione consistere. Effectus enim rei non statim rem constituit, imprimis cum substantia Angelica actu à cogitatione sit distincta, & sic alius adhuc in Angelo detur conceptus, qvi non possit esse cogitatio, v. g. essentia, vel substantia per se subsistens, qvippe qvi conceptus cogitationi tribui neqvit. *Objic.* (II.)

Ange-

Angelos esse simplices, atqve adeo qvicqvid operantur, per cogitationem & voluntatem operari posse. *Resp.* Licet Angeli qvidem sint simplices; non tamen simplicitas hæc talis est, ut qvicqvid in Angelo est, sit ipse Angelus, qvoniam sic ex angelo fieret DEus. Hinc ergo nunc est, qvod potentia Angeli cum ejus voluntate identificari neqveat. *Objic.* (*III.*) Angelum ut Spiritum non posse movere corpora; adeoqve qvicqvid agit per cogitationem & voluntatem agere. *Resp.* Hypothesis est falsissima. Qvod si enim anima nostra potest movere suum corpus, cur non & Angeli ut Spiritus completi movere possent corpus? Imo & reapse moverunt, ut ex prostratione primogenituræ Ægyptiacæ, Castrorum Assyriorum, porcorum præcipitatione in mare *Matth. VIII, 32.* effectibus apud *Job. c. I, 16. 19.* aliisqve videre est. Et qvamvis *modum* motionis nesciamus, sufficit, qvod effectus revera adsit, qvi negari neqvit. Vide alias de potentiâ motiva Angelorum *Suarez. Metaph. d. sp. 36. sect. 1. §. 21. sqq.*

Qv. V.

NUM ANGELUS POSSIT ESSE IN PLURIBUS UBI SIMUL?

§. I.

AFfirmant Theologi Cartesiani. Sic namqve *Christoph. Wittich. in Theol. Pacif. n. 183. p. 154.* repetit, qvæ jam antea docuerat his verbis: *Cum præsentia Angelorum tantum consistat in operatione ad extra, nulla erit contradictio, si dicamus, Angelum posse simul duas operationes ad extra producere, adeoqve sic in duobus spatiis esse posse.* Sic & Angelum posse esse in pluribus locis simul prolixius defendit idem *Wittich. in Theol. Pacif. defens. n. 304. sqq. p. 460. sqq.* More suo & hic Cartesianos excusare conatur *Petr. Allinga in Illustr. Erotemat. l. c. Erot. 3. p. m. 331.* ubi dicit, *fabulas narrare magnatibus pariter ac indocto popello, qvi tradunt, Cartesianos docere angelum posse esse in pluribus locis simul.* Qva vero fide hæc *Allinga* asserat judicabit ille, qvi clarissima jam adducta verba *Wittichii* pensitaverit. Nimis clare qvoqve loqvitur *Braunius in doctr. foed. l. c. n. 11. p. m. 181. Posset tamen dici Angelus in loco respectu corporis, in qvod operatur,*

ratur, qvia omne corpus in loco. Imo est locus ipse. Et qvemadmodum in plura corpora potest agere simul respectu istarum operationum posset dici in pluribus corporibus simul esse. Contra hanc hypothesin vide *Maresl. l. c. Leydekker l. c. controv. 4. p. 320.* seqq. *van Mastricht l. c. cap. 24. p. 409. sqq. Reiner. Vogelsang. in Exercitat. Theol. Exerc. 18. n. 12. p. m. 520. sq. Ger. de Vries in Philosophemat. Philos. disqv. de Nullibit. Spirit. n. 2. sq.* & ex *Coccejanis*, qvi *Cartesianis* alias non solent contradicere, hic vide contra *Cartesianos Wilh. Mommam in Prælection. Theol. loc. de Angelis p. m. 235. sq.* Ex Nostratibus vid. *B. Osiandr. l. c. th. 3. p. 197. sqq.*

§. II. Nos præsupponimus (1) non esse sermonem de Angelo *increato*; sed de Angelis *creatis*, iisqve spiritibus illis invisibilibus. (2) Non esse sermonem de pluribus ubi *successive talibus*; sed de pluribus *Ubi simul* (3) non esse nobis sermonem de motu & esse in loco *circumscriptivè*, uti corporibus competit; sed de esse in ubi *definitivè*, & prouti spiritibus competere potest. Qvibus præsuppositis dicimus: *Angelus non potest esse in pluribus Ubi simul.* Prob. (1) Qvia nullibi Scriptura indicat, unum angelum in pluribus Ubi simul esse posse. (2) Scriptura potius contrarium testatur, utpote qvæ testatur, Angelos ascendere & descendere, accedere & discedere. *Gen. XXVIII, 12. Matth. IV, 5. Cap. VIII, 32.* adeoqve unum ubi post aliud sibi definiunt; imprimis cum Scriptura de iisdem loqvatur, ut creaturis. (3) Qvia Angeli sunt essentia finitæ. Qvod autem finitum est, id naturaliter in uno tantum Ubi est. (4) Qvia aliàs Angelis, si in pluribus ubi simul poterunt esse, competet Omnipræsentia, & per consequens immensi qvoqve erunt ac æterni. Qvod absurdum. Qvibus adde (5) Consensum orthodoxæ Ecclesiæ. Qvemadmodum & Parisiis qvondam à *Guillelmo* ejusdem urbis Episcopo damnatus est hic articulus: *Qvod Angelus in eodem instanti potest esse in diversis locis.* Qvæ sententia qvoqve *Durandi* fuit, vid. *Tom. 4. Biblioth. Patr. p. 927.* & *Diouys. Petav. de Theol. Dogmat. de Angelis l. 1. c. 13. n. 11. p. m. 42.*

§. III. *Objic.* (1) Angelos non esse corpora, adeoqve ipsis non competere motum. *Resp.* Qvamvis Angelis non competat *motus physicus*, qvi corporibus alias assignatur; non tamen denegari illis poterit *motus* à nonnullis sic dictus *Metaphysicus*, qvi est verus &

realis consistens in verâ mutatione ac reali extrinsecâ ℈ Ubi, atqve adeo in derelictione hujus & acqvisitione alterius Ubi. *Objic.* (II.) Præsentiam Angelorum consistere in operatione ad extra. *Resp.* Hypothesis illa est falsa, cum præsentiam Angelorum non faciat primò operatio, sed potius ipsorum essentia & substantia, qvæ vero cum finita saltem sit, non potest esse in pluribus Ubi simul. *Objic.* (III.) Angelos dici in Scriptura alatos; atqve sic etiam posse esse in pluribus Ubi simul. *Resp.* â celeritate Angelorum ad eorum multipræsentiam N. V. C. Celeritas qvidem competit Angelis: verum non repletiva; sed definitiva, & ratione motus successiva; licet successus sit celerrimus; non tamen eo ipso puncto est in hoc ubi, qvo est in illo. *Objic.* (IV.) Angelum unâ nocte 185000. hominum occidisse in loco illo, in qvo Sennacherib castra metatus fuit, id fieri non potuisse, nisi Angelus in pluribus ubi possit simul esse. *Resp.* (1.) ab extraordinariis non licet argumentari, ad ordinaria. (2) Non seqvitur: Unus Angelus tam brevi temporis spatio tot millia hominum occidit. E. qvoad essentiam in pluribus Ubi potest esse simul: Et *Simson* Unus ille Vir mille occidit Philistæos, nec tamen inde seqvitur, qvod in pluribus Ubi fuerit simul, Unus homo unico tormento parvis globulis repleto unico momento tot potest occidere homines. E. homo ille est in pluribus Ubi simul. Multo majora hic præstare & operari potuit Angelus, ut nihilominus qvoad essentiam in una saltem manserit Ubi, qvod tamen pro summa velocitate suâ in unâ nocte toties totiesqve mutare potuit, ut utiqve tot millia hominum occidere potuerit; nec tamen qvoad suppositum suum in variis Ubi simul fuerit.

Qv. VI.

NUM ANGELI ETIAM SCIANT SECRETA CORDIS HUMANI?

§. I.

PEculiarem hanc sententiam ex Cartesianis fovet *Anton. le Grand. in Instit. Philos. part. 3. c. 3. n. 4. sq. p. m. 180. sq.* Ubi putat omnes rationes esse infirmas, qvibus Scholastici communiter probare solent hominum cogitationes naturaliter cognoscere non posse Angelum

Angelum. Moxqve concludit: *Propterea immotum stat, hominum cogitationes ab intellectu Angeli percipi posse.* Idem dogma qvoqve ex recentioribus defendere conatur *Johann. Schulerus Exercit. Philos. l. 3. qv. 21. p. 219. sqq.* Ubi demonstrare conatur, *qvod Angeli cognoscere possint cogitationes tam materiales, qvam immateriales hominis, non qvidem cognitione certa futuras, bene tamen præsentes.* Utrumqve refutavit B. D*n. Nathan.* Falck *in disp. de Qv. Num Angeli intelligant secreta cordium, Witteb. Ann. 1692.* hab.

§. II. Prænotamus nos (1.) sermonem esse de secretis cordis humani non ex certo qvodam temperamento: sed libere ortis. (2.) Non de cognitione qvâdam à *posteriori*; sed *priori*, eaqve non *probabili*, sed *certa* & *apodictica*. (3.) Sermonem esse non de notitia qvadam à DEO revelata; sed ex propriis viribus acqvisita. Qvibus præsuppositis dicimus: *Angeli non sciunt secreta cordis humani & cogitationes.* Prob. (1.) Qvia nullo argumento nec ex Scriptura nec ex ratione petito contrarium probari potest. (2.) Qvia potius contrariatur Scriptura S. qvæ scrutinium cordis humani soli tribuit DEO. Unde etiam argumentum firmissimum est, qvo Deitas Filii DEI probatur contra adversarios. Qvod argumentum revera pondus suum amitteret, si & Angelis scrutinium hocce competeret. (3.) Ex ipsa natura cogitationum nostrarum. Nam uti aliæ dantur satis multæ operationes, qvæ à potentiis suis egredi non possunt, nisi ita velit voluntas, aut appetitus, qvod imprimis de potentia locomotiva, sermocinatrice, aliisqve constat, ita ratio nulla est, qvare in celandis efferendisqve cogitatis interioribus voluntatis imperium ita mancum sit, ut arcana sua prodere velit, nolit, debeat enti spirituali, qvod tamen in essendo pariter atqve intelligendo finitum saltem est, nec ullo in voluntatem humanam dominio pollet. (4.) Qvia & Angeli nec proprias invicem cogitationes cognoscunt absqve manifestatione qvadam facta. E. nec etiam cogitationes hominum sciunt. Imprimis & cum alias summa in rebus humanis confusio induceretur, Dæmonis nimirum accedente versutia. His (5) adde consensum orthodoxæ antiqvitatis. De qvo vide *Petav. l. c. c. 7. p. m. 21. sqq.*

§. III. *Objic.* (1.) Angelos proprias cogitationes contemplari, sic & aliorum Angelorum & hominum cogitationes scire posse;

cum ejusdem sint rationis, & substantia conveniant. *Resp.* Absurda est collectio à propriis conceptibus ad alienos. Anima contemplatur proprias cogitationes, nec tamen inde seqvitur, qvod & aliorum hominum cogitationes scire qveat. Neqve etiam nuda ac simplex convenientia naturæ & substantiæ hic sufficit. Medio namqve & præterea hic opus est, qvod & apud Angelos est impressio specierum ab altero subjecto facta, qvâ deficiente cognoscet certe nihil. *Objic.* (*II.*) nullum corporis locum spiritui esse impervium. Ergò & posse ingredi corpus hominis mentiqve se optime præsentem sistere, atqve sic & secreta cordis scire. *Resp.* (1.) Licet qvidem nullum obstaculum physicum hic obsit; potest tamen obesse morale. Sic e. g. mali Angeli non facile ita animam hominis pii, & boni Angeli animam hominis impii ingrediuntur. (2) Posito qvoqve, Angelos animæ ita sese sistere, & sic etiam ea qvæ necessaria sunt, scire, qvæqve ipsi suppeditant, & suggerunt, cognoscere. Non tamen simul ea scire possunt, qvæ sunt libera & ab ipsa anima cogitante, si nulla ab ipsa anima detur manifestatio, qvia alias angeli sine speciebus cognoscerent, & rem in essentia sua intuerentur, qvod tamen creaturæ non competit. *Objic.* (*III.*) determinationes voluntatis nostræ esse satis multas, qvæ per signa aliqva produntur e. c. per motum spirituum circa cor, vel per notas qvasdam externas, qvæ Angelis aut Dæmonibus argumentum præbere possunt ad cogitationes & affectiones cordis detegendas. *Resp.* Hoc non negamus, ex his signis Angelos facile de cogitationibus hominum judicare posse. At vero qvæ ex istiusmodi signis externis colliguntur, pariunt saltem Scientiam qvandam conjecturalem, qvam lubenter concedimus; non autem apodicticam, & certam, de qva tamen hac vice qværitur, qvamqve hoc argumento Dn. le Grand non probat; sed principium ubivis petit: *Objicitur* (*IV.*) ipsa *Legrandii* experientia: *Ego*, inqvit, *paucis abhinc annis Dæmonem audivi Bruxellis è femina energumena loqventem, qvi plurimorum ad se accedentium abditissimas cogitationes revelavit, qvanqvam hæ nullo signo exteriori proderentur. Imo cum adstantium qvivis eum rogaret, qvid illi tunc temporis in mentem venerit, illico detexit, illum die seqventi iter suscipere decrevisse. Qvod ita esse abnuere non potuit, qvi interrogaverat.* *Resp.* Dæmonem interdum

interdum cogitationes hominum scire posse, non negamus; at vero qvod ex propriis viribus, & non ex revelatione qvâdam divina, & semper eas sciat, negamus, nec contrarium probari poterit. Adductum exemplum qvod concernit, si omnia ita sese habeant, qvid obstat, qvo minus dicamus, Dæmonem, permittente DEO, cogitationes sic revelare potuisse, ut pessimus interrogantium pruritus in punitionem tandem deceptorum desineret. Qvid? qvod & ex circumstantiis atqve actibus præparatoriis, aut aliis hujus viri negotiis, qvæ iter hoc tum temporis poscebant, has de eo suscipiendo cogitationes, qva pollet sagacitate, prædicere Dæmon potuerit. Ex qvo tamen nondum seqvitur, qvod probandum potissimum erat.

Qv. VII.

NUM ANGELI BONI ADHUC AMPLIUS PECCARE POSSINT?

§. I.

CUm *Arminiani* passim doceant, Angelorum Confirmationem in bono ex Sacris Literis non constare, ex hoc principio jam *Hugo Grotius* Arminianizans statuit, non semel saltem defecisse Angelos; sed vel adhuc hodie bonos Angelos deficere posse. Sic namqve in *Annotat. ad Gal. I, 8.* scribit: *Qvod de Angelo dicit, est qvidem exaggeranter dictum, non tamen plane ἀδύνατον. Nam Angeli desertores olim in cœlo fuere, neqve semel; sed sæpius accidisse, ut Angeli ex bonis mali fierent, putant Hebræi.* Ante *Grotium* jam idem docuerunt eum Judæis *Origenes*, *Olympiodorus*, aliiqve, de qvibus vide *Thomam Milles in annotat. ad Cyrillum Hierosol. Oxon. Ann. 1703. edit. p. 22.* Contra *Grotium* vide B. *Calov. in Bibl. Illustr. ad Gal. 1, 8. Tom. 2. N. T. p. 535.* & in *System. Theol. Tom. 4 pag. 69.* & Illustrem Pomeranor. Theol. *Magnif. Dn. D. Jo. Fried. Mayer in disp. de Confirmatione Angelor. in bono Gryphiswald. Ann. 1703. hab. p. 8.*

§. II. Prænotamus nos (1) sermonem esse non de Angelis *malis*; sed *bonis*. (2) Non esse sermonem de *prima* eorundem *defectione*: sed qværi: num sæpius defecerint? & num sic qvoqve hodie adhuc pe-

care possint ? Qvibus prænotatis dicimus : *Angeli boni non amplius adhuc peccare possunt.* Prob. (1) Qvia de Angelis Bonis expresse legitur, qvod videant DEI Patris in cœlo faciem πάντος *semper. Matth. XVIII. 10.* Ergo Angeli boni nec peccant, nec peccare possunt. (2) *ex Gal. I, 8.* Ut ἀδύνατον Apostolum Θεόπνευστον aliud Evangelium prædicare aut fallere : ita non minus, imo magis ἀδύνατον esse innuitur hoc de Angelo de cœlo discedente. (3.) Si beati in cœlis beatitudine sua excidere non possunt, neqve angeli boni in cœlis eadem excidere possunt. Erimus enim ἰσάγγελοι, non vero Angelis superiores aut perfectiores *Luc. XX, 36.* (4.) Qvia Angeli boni dicuntur electi *1. Tim. V, 21.* non qvidem ut homines ; sed qvatenus sunt vel *singulariter dilecti*, vel à *qvodam cœtu evocati* ac *segregati.* Qvo etiam in sensu explices, firmum tamen manet, bonos Angelos non posse fieri malos, æternumqve damnatos. Qvemadmodum enim electio hominum ad vitam æternam est immutabilis, ut gratia DEI finaliter excidere non possint *Matth. XXIV, 24.* ita recte omnino dixerimus, cum Angeli boni sint electi DEI, impossibile esse, ut ex hac DEI dilectione possint excidere & à bonitate sua deficere. (5.) Qvia & contraria sententia plane nullo argumento ex Scriptura S. ex qva tamen unice hâc de materia constare potest, petito probari potest.

§. III. *Objicitur* : Reapse sæpius accidisse, ut Angeli ex bonis fierent mali. *Resp.* Merum hoc est commentum Judaicum, nulloqve Scripturæ testimonio probari potest ; ultra qvod in rebus, qvæ nonnisi ex revelatione constare possunt, sapere nullo modo licet.

Qv. VIII.

NUM DE ORDINE ET PROCESSU LAPSUS ANGELORUM MALORUM CERTI QVID CONSTET?

§. I.

DE Ordine & processu lapsus Angelorum malorum varii varias olim foverunt sententias, de qvibus vide *Tho. Milles in annot. ad Cyrillum Hierosol. p. 18. sqq.* Ex recentioribus *Bryanus Turner*

Rector

Rector de Soldern Oxon. edidit *Londini Ann. 1691. tentamen de primi peccati introitu, sive de lapsu Angelorum & hominum.* Quo in scripto ordinem & processum huncce prolixius determinare ausus est. Summa huc redit. Nimirum ex mente hujus auctoris primum lapsus est Lucifer. Ipse vero ad quoddam præsidiale in universum hoc dominium, cujus administratio Aristocratica penes varios Archangelos sub uno DEO summipotente primitus fuit, adspiravit. Quod ut efficeret, reliquos Angelorum ordines suæ præfecturæ subjicere opus sibi esse sentiens, vires dotesque suas ambientium more ostentare cœpit. Hujus vero suasionibus, alii Angeli fuere allecti (unde ei etiam πειρά-ζοντος nomen in Scripturis natum sit) qui iisdem spe universalis, cujus ipsi quoque participes futuri essent, dominii & Ducis Principisque sui excellentia excœcati faciles aures præbuerunt, ac in sceleratum fœdus consenserunt, ita quidem, ut alii omni studio hoc fœdus promoventes antesignanos quoque se præstiterint, alii vero ut inclinatiores in Luciferi partes tanquam minorum gentium milites eum secuti saltem fuerint. Et inde putat, natum esse discrimen, quod inter malos dæmones est, quo alii tetrici, alii surdi, alii lascivi & impuri &c. dicuntur.

§. II. Nos prænotamus (1.) non tam esse sermonem de qualicunque conjecturâ, sed *certa* quâdam *notitiâ* (2) non esse tantum sermonem de lapsu ipso, sic namque probabiliter utique Theologi nostrates statuunt, *affectatam deiformitatem* fuisse primum malorum Angelorum peccatum; sed & de lapsus hujus *ordine, modoque.* His prænotatis dicimus: *Ordo & processus ille lapsus Angelorum descriptus à Bryano Turnero & incertus, & in quibusdam quoque ne quidem probabilis est.* Prob. (1) Quia de hoc ordine Scriptura S. plane nihil habet specialius. Ex qua tamen unicè de istiusmodi rebus judicandum est. (2) Quia nec recta ratio hæc poterit scire, adeoque nec ex ea argumentatio quædam desumi poterit. (3) Quia sententia hæc quibusdam aliis nititur hypothesibus, quæ vel ipsi Scripturæ S. potius adversa videntur esse, e. g. quæ dicuntur de præsidiali Angelorum in hoc Universum dominio; cum tamen dominium in creaturas tantum Homini, non vero etiam Angelis legatur concessum. Item quæ de variis Archangelis proferuntur, cum tamen videatur saltem

unicus

unicus esse *1. Thes. IV, 16. & Ep. Jud. vers. 9.* deniqve & qvæ de determinato dæmonum ordine ac discrimine judicantur, cum illa asserta vel singulis dæmonibus sint communia; cum in singulis omnia reperiantur vitia & peccata, plane nullo excepto.

§. III. *Objic.* (*I.*) dici diabolum tentatorem. *Resp.* sic dicitur ratione variarum tentationum, qvibus & Protoplastos, & nos eorum posteros passim petit. Qvod vero & sic dicatur respectu ordinis lapsus sui, dicitur saltem, nullo autem argumento probatur. *Objic.* (*II.*) Locus *Matth. IV, 9. Resp.* (1.) Mentitur hic Diabolus sub vana gloria, cum regna mundi nunqvam ita ejus fuerint, ut pro arbitrio ea cuiqvam dare potuerit. (2.) Nec valet hæc Consequentia: Diabolus ita tentavit Christum: Ergo & alios angelos ita tentavit & istiusmodi svasionibus allicere eosdem voluit. Imprimis cum hic longe alius Diaboli sit scopus, qvando tentatione hac aggreditur Christum. *Objic.* (*III.*) Reliqvisse suum domicilium angelos. *Ep. Jud. v. 6. Resp.* Ex hoc loco lapsus qvidem Angelorum patet; ordo vero ac processus Turnerianus ne ullo qvidem vestigio comparet.

Qv. IX.

NUM ANGELORUM, IMPRIMIS MALORUM QVÆDAM IN HOC MUNDO DETUR OPERATIO?

§. I.

NEgativa sententia fluit ex *Cartesianis* hypothesibus de Angelis, qvas modo jam discussimus. Ex recentioribus præ aliis sententiam hanc magno cum molimine proposuit Ecclesiastes qvidam Amstelodamensis *D. Balthasar Bekker* in libro sub titulo: Die bezauberte Welt. Qvi liber in Lingva Belgica *Ann. 1691. Leovard.* mox & *Amstelodami*, deinceps qvoqve in Germanica prodiit. Et qvidem initio cum ederetur, tali cum applausu, ut, referente B. *Dn. Tenzelio* in den Monathlichen Unterredung. *Ann. 1692. p. m.* 109. intra duorum mensium spatium 4000. exemplaria vendita fuerint in Belgio. Imo & ante annos aliqvot filium *Bekkeri* laborasse in vertendo hoc libro latine ex ore

ex ore peregrinantium idem *Tenzelius* refert *Ann. 1694. p. 658.* Conſtat hoc ſcriptum *4. libris*, qvorum *duo priores* initio prodiere, qvos *duo poſteriores* deinceps inſecuti ſunt. In *primo libro* inqvirit in varias opiniones omnium populorum, qvas de DEO & ſpiritibus habuerunt. In *ſecundo libro* examinat doctrinam de ſpiritibus eorumqve viribus ac operationibus tam ex naturali ratione, qvam Scriptura. In *tertio libro* communem opinionem de hominibus, qvi habentur pro talibus, qvi cum Diabolo converſanrur, examini ſuo ſubjicit. Tandem & *libro qvarto* argumentum illud, qvod ab experientia deſumi ſolet, excutit. Sententia autem *Bekkeriana* in compendio hæc eſt: Dari qvidem Angelos bonos, malosqve, verum qvæ de ipſorum potentia ac operatione hactenus in Scholis fuere tradita, hæc omnia putat ex Gentiliſmo ad Pontificios, & ab his ad alios fuiſſe derivata. Hinc non abſonum eſſe putat, ſi dixerit, unum tantum eſſe Diabolum, qvi Angelis malis qvaſi ad miniſtris utatur, cum qvibus tamen gehennæ incluſus à DEO, nec ad ſit mundo huic, nec nocere, nec operari omnino poſſit. Propterea nec ſpectra credit, nec obſeſſionem corporalem nec pacta cum Diabolo, nec alias Angelorum vel bonorum, vel malorum operationes. Dicta autem Biblica omnia tam aperte de his operationibus agentia mirum in modum pervertit, ut loca de apparitionibus Angelorum de hominibus nunciis, Diabolum de homine aliqvo malevolo, obſeſſiones de morbis naturalibus, tentationem Chriſti de imaginatione, & ſic alia loca perverſe admodum explicet. Exempla alia, qvæ experientia olim, & adhuc hodie ſuppeditat, vel hominum phantaſiæ, vel illuſionibus hominum tribuit. Qvæ propterea in Belgio cum *Bekkero* tandem ab officio remoto acta fuerint, prolixe recenſet *B. Dn. Tenzel.* in den **Monathlichen Unterredungen.** *Ann. 1692. p. 112. ſqq. & 1002. ſqq. & Ann. 1693. p. 256. ſqq.* Qvemadmodum & hiſtoria hæc habetur in qvatuor ſcriptis, qvi in idiomate Belgico prodierunt ſub titulo: *Viervoudige Beantwoordinge van bezwaerniſſen, voorgeſteld an Balthaſ. Bekker SS. Theol. Dr. Predicant tot Amſterdam, over ſyn Boek genaant de betooverde Weereld &c.* Conf. qvoqve *Heinrich Ludolph Benthems* **Holländiſchen Kirch- und Schulen-Staat** / *part. 2. c. 2. §. 54. ſqq. p. m. 110. ſqq.* Qvam ſcandaloſum hoc dogma, nihilominus tamen approbatores & defenſores Diſp. VI.

ſuos habet; inter qvos præ aliis nomen ſuum profitetur *Zacharias Webber*, qvi *Bekkerum* contra *B. Wincklerum* vindicavit in ſcripto *Amſtelod. Ann. 1695.* edito ſub titulo: Beſcheidene und gründliche Antwort auff Joh. Wincklers Predigt von der Verſuchung Chriſti / und unſerer erſten Eltern durch den Teuffel. Reliqvi ferme nomina ſua publice profeſſi non fuere; ſed ſunt *Anonymi*. In Germania noſtra *Anno 1701. Halæ* ſub Præſidio Illuſtris Dn. *D. Chriſt. Thomaſii diſputatio* qvædam *inauguralis* habita fuit *de Crimine Magiæ*, in qva potiſſimum crimen magiæ negatur. Eqvidem §. 6. *ſq.* Dn. auctor perſvadere lectori voluit hypotheſin ſuam à *Bekkeriana* differre; at vero contrarium evicit *Dn. Carol. Frider. Romanus in ſchediaſmate Polem. expendente Qv. An dentur ſpectra Magi & Sagæ* §. 18. *p. m.* 15. *ſq.* Eadem illa diſputatio ſub Præſidio D. *Thomaſii* habita prodiit etiam germanice ſub titulo: *Chriſtian Thomaſii* kurtze Lehr-Sätze von dem Laſter der Zauberey / aus dem Lateiniſchen ins Teutſche überſetzet / und mit des Autoris Vertheidigung vermehret: *Ann. 1703.* Et Dn. *D. Joh. Caſpar Weſtphal.* edidit *Pathologiam Dæmoniacam Lipſiæ Ann. 1707.* impreſſ. ubi *p. 28. ſqq.* obſeſſiones diabolicas de morbis convulſivis explicat, & *p. 29.* de ſagis, ſpectris, aliisqve diaboli operationibus nimis ſiniſtre judicat. Sic & *Ann. 1708. Stargardiæ* prodiit ſub nomine *Aloyſii Charitini JC.* ſcriptum aliqvod ſub titulo. Diſcurs von betrüglichen Kennzeichen der Zauberey; ubi auctor *ſect. 1. §. 4. p. 16.* præ ſe fert, qvaſi cum *Bekkero* non ſentiat; nihilominus tamen pacta cum Diabolo è mundo tollere videtur. Deniqve ut alia hac vice taceamus *Ann. 1708.* prodiit qvoqve *Anonymi* ſcriptum ſub titulo: Die neuſte alamodiſche Teuffeley und Zauberey / recommendiret an Staat der alten Fabelhafften. Qvod ſcriptum prodiit occaſione tyronis alicujus, qvi *Ann. 1707. Lipſiæ* pactum aliqvod cum Diabolo inire cœperat. Qvod factum autem auctor hicce pro vero, ut pro operatione qvadam Diaboli habere recuſat, cum *Dn. Thomaſio* magiam negare viſus. Contra qvod vero ſcriptum tyronis hujus Dominus, qvi eſt Bibliopola qvidam edidit genuinam qvandam relationem *Anno 1708. Lipſiæ* ſub titulo: Merckwürdige und warhafftige Begebenheit / wie ſelbige mit J. G. F bey Beſchwerung des Teuffels aus des ſo genandten D. Fauſtens

Höllen-

Höllenzwang sich zugetragen. Alles in richtiger Ordnung / und wie es von Tag zu Tag vom 2. Octobr. biß den 21. Decembr. Anno 1707. ergangen. Denen insonderheit zu Dienst / so wieder die Warheit und eigentlichen Verlauff dieser remarqvablen Sache durch geschriebne und gedruckte Erzehlungen bißhero ungleich berichtet worden / vor Augen geleget bey Anfang neuer Zeit. Leipzig zu finden bey *Andreas Zeidlern.* Ex qva relatione opus Diaboli nimis clare patescit. Sic & reliqvis opposita varia passim scripta prostant. *Balthas. Bekkero* opposuerunt sese qvamplurimi, ejusqve hypotheses publice refutarunt. Potiores sunt seqventes: *Haggebher Philalethis* (qvem *Bekkerus* vocat *Everhardum van der Hooght* Ecclesiastam Niewendammensem,) *Epistolæ contra Bekkerum* belgice editæ, *Anonymi Bekkerus fascinatus & diabolus exterminatus revocatus*, itidem *belgice.* Eadem in lingva reperiuntur *Jo. Aalstii & Pauli Steenwinckels zeedige Aanmerkingen Dordraci Ann. 1693. Jo. van der Waeyen de Betooverde Weereld onderstecht en weederlegt Franeck. Ann. 1693. Samuel de Vries de Satan in sijn Wesen Aert, Bedryf, en Guykel-Speel vertoond &c. Petrus Schak Ecclesiastes Amstelodamensis* dogma Bekkerianum *aliqvot concionibus* editis refutavit. Adde *Melch. Leydekker dissertat. Histor. Theol. de vulgato nupere Bekkeri volumine &c. Ultraj. Ann. 1692.* edit. *Frider. Spanhem. in Elench. Controv. p. m. 673. sqq. Petr. Poiret in vera methodo inveniendi verum*, qvæ præmittitur *libris Ejus de Eruditione solida superficiar. & falsa n. 20. sqq. p m. 169. sqq. Jo. a Marck in Textual. Exercitat. Amstelod. Ann. 1694.* editis *Exerc. 29. tota p. m. 257. sqq.* Ex Nostratibus *Bekkerum* refutarunt B. Dn. *D. Nathan. Falck in Dæmonolog. dissert. 4. B. Dn. Jo. Winckler in Concione de Tentatione Christi Dominica Invocavit Hamburgi Ann. 1694* hab. & edit. Magnif. *Dn. D. Val. Ern. Loescher in Prænot. Theol. p. 216. sqq.* Maxime Rev. Dn. D. *Rumpæus Fautor ac Amicus noster longe honoratiss. in disp. Utrum detur aliqva Diaboli in hoc mundo operatio Gryphiswald. Ann. 1706. hab. Anonymus* qvidam *Anno 1708. Hamburgi* edidit gründliche völlige Wiederlegung der bezauberten Welt *Balthas. Bekkers*, qvi autor sub litera M. latere voluit; est autem Dn. *Michael Berns Pastor Wandesbeckensis* prope Hamburgum. Conf. hic qvoqve summe Rev. *Dn. L. Kettneri disp. de Bekkero*

kero, & Celeberrimos Dnn. *auctores* derer unschuldigen Nachrichten *Ann. 1702. p. 295. sqq.* Adde qvoqve si placet, *disputationem* nostro sub præsidio hab. de *Tentatione Evæ & Christi. De scriptis* contra *Bekkerum* plura vide in *Boekzaal van Europe Ann. 1692 p. 24. 52. 103. 123. 131. & 156. & Henrich Ludolph Benthems* Holländischen Kirch- und Schulen-Staat *part. 2. c. 6. p. m. 739. sqq.* Contra *Thomasium* scripserunt *membrum* aliqvod *Collegii Curiosorumin Germania* in den unpartheyschen Gedancken über die kurtzen Lehr-Sätze von dem Laster der Zauberey *An. 1703. Dn. Petr.* Goldschmidt im verworffnen Hexen und Zauberer-Advocat *Hamb. Ann. 1705. & Dn. Carol. Frid. Romanus in schediasmate de Qv. an dentur spectra magi & sagæ Lipsi. Ann. 1710. recus.* Contra *Dn. D. Westphal.* vide Magnif. *Dn. D. Loescher l. c. p. 218. sqq.* item die unschuldigen Nachrichten *Ann. 1708. p. 176. sqq.* Occasione harum controversiarum qvoqve ex Anglicano idiomate in Germanicum translatus est *Joseph Glanvil Saducismus triumphantus Hamburg. Ann. 1701.* Conf. & *Erasm. Francisc.* Höllischer Proteus.

§. II. Jam eqvidem omnia prolixe evolvere hac vice non licet, cum alias vel de unica hac Controversia integrum aliqvod conscribi posset Systema; sed vi instituti præsentis nostri potiora saltem, eaqve breviter tangimus. Hincqve prænotamus (1.) sermonem esse de Angelis non *visibilibus* & ratione officii sic qvoqve dictis hominibus; sed de *invisibilibus* vulgo sic dictis spiritibus illis *creatis*, & potissimum qvidem *malis*. (2.) Sermonem esse potissimum de Angelorum malorum *operationibus*, non *existentia*, qvam *Bekkerus* in der bezauberten Welt *l. 2. c. 8. §. 24. p. m. 47. & c. 9. §. 1. p. 51.* aliiqve Adversarii concedere videntur, qvamvis Dn. *Benthemb* im Holländischen Kirchen-Staat *part. 2. c. 2. §. 5. 8. p. m. 113.* contrarium ferme de Bekkero testetur his verbis: Einige meinen / daß dieser Doctor würde weiter gangen seyn / wenn man nicht also bey Zeiten einen Ernst gebraucht hätte. Und ist merckich / daß ob er schon mit Worten bekennet einen Teuffel zu glauben / dennoch ihm solches nicht wohl von Hertzen gehen kan / in betracht / daß er lehret auß dem Licht der Natur könne nicht erwiesen werden / daß ein Teuffel sey / und doch dabey die helleſten Oerter der H. Schrifft / welche

welche von dem Teuffel reden / auff eine andere Deutung drehet. Wie mich denn auch ein gelehrter / und glaubwürdiger Mann / welcher viel Jahr mit Bekkern gemeinsahm umgegangen / versichern wollen / daß er in der That keine Teuffel glaube / und nur aus Furcht vor Menschen solche Meinung öffentlich zu behaupten bißher unterlassen habe. Alias contra Adæmonistas jam egimus qv. 2. (3.) non esse sermonem nobis de operationibus Diaboli ex *absoluta sua voluntate*, sed utiqve ex *permissione* ac *circumscriptione* DEI editis. (4.) Non esse sermonem de *modo* operationum harum, qvi utiqve ubivis non constat; sed de *operationibus ipsis*. (5.) Non qværi de *difficultate percipiendi*, qvam itidem lubenter concedimus; sed de *ipsa rei veritate*, qvæ ob difficultatem non semper in dubium vocanda est. (6.) Non esse sermonem de variis illusionibus, imaginationibus, falsisqve præsumtionibus, aliisqve præconceptis ac minus fundatis opinionibus & judiciis, qvæ omnia circa diaboli operationes ut spectra, magiam &c. dari non negamus; sed de veris illis dæmonum operationibus, & an illusiones qvædam, præsumtiones, ac præconceptæ qvædam opiniones statim omnes dæmonum operationes tollant?

§. III. Qvibus prænotatis dicimus (1.) *Dantur omnino operationes Angelorum bonorum in hoc mundo*. Prob. (1.) ex eorum apparitionibus, qvas Scriptura S. clarissime recenset. v. g. (α) *Gen. XVIII, 2. c. XIX, 1.* Non autem hic intelligi tres homines, ut *Bekkerus l. 2 c. 14.* putat, satis ex integra illa Historia patet. Unus eorum erat ipse filius DEI, qvi non Adoni ut *Bekkerus* frustra opinatur; sed Adonai vocatur, qvæ appellatio soli DEO competit, qvare & idem Jehovah vocatur *c. XVIII, 1. 13. 17 20. 22. 26. 33.* Qvæ loca tam clara, ut qvicqvid etiam Bekkerus perverse exceperit, veritas tamen sole meridiano clarior sit. Qvo accedit etiam abditorum cognitio *v. 10. 11. 12. 13. 14. 15.* item religiosa illa adoratio *v. 22 sqq.* qvæ invictissime rursus probant, Jehovam huncce verum fuisse DEum. Reliqvi duo autem erant duo Angeli creati boni in assumta externa qvadam forma, ut patet partim ex comitatu illo, partim ex facto illo *Gen. XIX, 10. 11.* partim ex eversione Sodomæ *v. 13.* partim & qvia *Hebr. XIII, 2.* absolute vocantur *Angeli*, qvi locus de hominibus plane nullo modo expli-

explicari potest. Nec obstat qvod Abrahamus hos Angelos ut homines tractaverit & qvod comederint. Nam probabile valde videtur, qvod, qvemadmodum Abrahamus Filium DEI, qvem ADONAI compellat, cognovit, ita & Angelos agnoverit in assumtis formis, sed & pie intellexerit, qvod qvoniam JEHOVÆ apparere cum Angelis in forma humana placuisset, debitum qvoqve suum esset cum ipsis qvasi hominibus non tantum loqvi; sed etiam agere. Comederunt etiam, sed non ventrem implendo, verum hospitalitatem Abrahami approbando, qvemadmodum & DEus approbavit sacrificia, qvando suo consumsit igne. vid. *B. Seb. Schmidt in Comment. in Genes. p. 184. sqq.* (β) *Gen. XXXII, 1. 2. 2. Sam. XXIV, 17. collat. cum 1. Par. XXII, 16. & 20. 2. Reg. VI, 17.* Non nudam hanc fuisse imaginationem omnes circumstantiæ aperte satis docent. (γ) *Dan. III, 25. 28. sq. VI, 22.* Qvæ loca denuo clarissima; & frustra de priori excipit *Bekkerus*, Historiam illam legi saltem in libro Apocrypho; cum tamen & ap. Danielem scriptorem Canonicum *l. c.* reperiatur (δ) *Luc. II, 9. 13. c. XXIV, 4. Act. I, 10. c. X, 3. c. XII, 7.* Qvæ loca tam perspicua, ut *Bekkerus l. c. c. 13. §. 13.* non habeat qvæ excipere qveat, nisi qvod putet; non explicari, qvales apparitiones fuerint, & wenn GOtt Wunder thut / so thue er Wunder / adeoqve vi hypotheseos suæ per Angelum hic denotari *ipsam DEI operationem.* Cum tamen clare satis explicatum hic sit, adfuisse Angelos bonos: Hypothesis autem *Bekkeriana* qvasi per Angelum ipsa DEI operatio denotetur, est efficta, & petitio qvædam principii. Prob. (2.) ex operationibus, ipsis in Scriptura S. occurrentibus. Sic v. g. custodiunt pios *Ps. XXXIV, 8. Hebr. I, 14.* adsunt pueris *Matth. XVIII, 10.* expresse hi *Angeli* contradistinguuntur ipsis *pueris*, non ergo sunt puerorum cogitationes, aut imaginationes; neqve possunt *homines* intelligi, qvia de illis dici neqvit, qvod *intueantur faciem Patris cœlestis:* neqve *ipsæ DEI operationes* hic intelligi possunt, cum nec in illas qvadret hæc phrasis: *intueri faciem DEI.* Animas nostras deportant in sinum Abrahæ *Luc. XVI, 22.* Christum Angelus confortat *Luc. XXII, 43.* Angelus devolvit lapidem de sepulchro *Matth. XXVIII, 2.* impios puniunt & occidunt *2. Reg, XIX, 25.* Ut plurima loca alia jam brevitatis ergo taceam, qvæ tam apodictice thesin nostram probant, ut si qvis aliter ea explicare velit,

velit, is totam Scripturam S. facile everſurus ſit, qvod nemo, qvi Chriſtianus audire vult, tentare poterit. Dicimus (II.) *Et malorum Angelorum ac dæmonis, licet & in inferno ſit; tamen nihilominus & in hoc mundo dantur operationes.* Prob. (1.) a clariſſima Scripturæ S. litera, qvæ operationum harum mentionem facit. v. g. (α) *Eph. VI, 12. 13.* Qvem locum de Judæis & Ethnicis ſpiritualiter animas Chriſtianorum oppugnantibus *Bekkerus l. c. c. 31. §. 20. p. 225.* fruſtra explicat. Qvippe hi hoſtes expreſſe *carni* opponuntur, & vocantur *principatus ac poteſtates* i. e. qvi ex illis Angelorum ordinibus ſunt, qvi *c. I, 21.* enarrantur, ſed lapſi originem ſuam non ſervarunt: item *imperatores tenebrarum hujus mundi* i. e. ignorantiæ & cœcitatis, qvæ in Judæis & gentilibus eſt, magiſtros, qvi homines in errore illo detinent, & obdurant: item vocantur *ſpiritualia malitiæ in cœleſtibus.* Qvæ denotant inviſibilem & ſpiritibus proprium, eoqve periculoſiorem impetum, ejus ſcil. malitiæ, qvæ in ipſo cœlo cœpit & in regno cœlorum continua damna dat. vide *B. Schomer. in Exegeſ. hujus loci.* Qvæqve omnia ſic comparata, ut niſi literam cum *Bekkero* qvam peſſime pervertere velimus hominibus competere neqveant. (β) *Joh. VIII, 44.* Qvi locus tam evidens, ut *Bekkerus* contra illum ne hiſcere qvidem poſſit. Expreſſe enim diaboli hic fit mentio, ita qvidem ut expreſſe de Angelis malis, lapſisqve ſpiritibus explicetur, atqve ſic de *hominibus* plane nullo modo intelligi poſſit. Ab hoc nunc dicuntur eſſe Judæi & qvidem ob operationes, qvas in iisdem habet, uti ex ſingulis verbis videre eſt. Ergo omnino qvædam diaboli hoc in mundo erit operatio. Idem & ſine ulla contradictione ad oculum patet ex *Joh. III, 8.* His locis jam (γ) jungas *1. Petr. V, 8. Eph. II, 2.* qvæ aliaqve dicta ex antecedentibus ejusmodi accipiunt robur, ut de hominibus nullo modo explicari qveant. Prob. (2.) ab apparitionibus dæmonum in aſſumtis corporibus, qvas dari videre eſt (α) ex *Luc. XXIV, 37. 39.* Hic putant diſcipuli, ſe videre *ſpectrum, ſpiritum* aliqvem in *aſſumto corpore.* Jam vero Chriſtus non reſpondet: qvid putatis diſcipuli? nulla dantur ſpectra. Qvo ipſo una vice omnem diſcipulorum metum penitus tollere potuiſſet; ſed potius ſaltem negat ſe eſſe ſpiritum in aſſumto qvodam corpore vanido nec permanente. Adeoqve expreſſe opinionem diſcipulorum de ſpectris probat, licet applicationem

nem ad præsentem casum neget. Qvod & facit *Marc. VI, 49. 50.* Qvæ opinio discipulorum si falsa fuisset, non bene feciſſet Christus, si eam non exemisset, inqve ea potius ipsos corroborasset. (β) Ex apparitione facta *Gen. III, 1.* & in deserto *Matth. IV, 1. sqq.* Qvæ loca in *diss. nostra* citata prolixius contra *Bekkerum* vindicavimus. (γ) Ex spectro illo Endoreo *1. Sam. XXVIII, 12. sqq.* Qvod spectrum non fuit mera qvædam mulierculæ illius fraus, ut Bekkerus putat. Nam *v. 14.* Saul dicitur agnoviſſe Samuelem, verticemqve inclinasse facie demissa in terram, ex qvo nonnulli simul arguunt, Saulem utiqve etiam hoc spectrum vidisse, & posito etiam, qvod illud non viderit, facile tamen fraudem mulierculæ animadvertere potuisset, aut si Saul non animadvertisset, cur non servi, qvi cum ipso erant, animadvertere potuissent *v. 23.* imo nullam hic fuisse fraudem, ad oculum est ex eo, qvod mulier *vers. 21.* expresse dicatur abfuisse, cum Saul cum spectro illo colloqveretur, qvo & accedit colloqvium ipsum. Conf. *B. Seb. Schmidt in Comment. in libb. Sam. in h. l. qv. 4. p. m. 922.* Et si fraus fuisset, cur non Spiritus S. id indicavit? & qvare ut rem vere sic gestam recenset? Plura de his vide ap. Dn. *Mich. Berns l. c. l. 3. c. 22. p. m. 896. sqq.* Prob. (3.) ab operationibus ipsis, qvæ in dubium vocari neqveunt. Qvo spectat (α) seductio Protoplastorum, qvæ plane nullo modo suspecta reddi potest. (β) Persvasio illius spiritus in ore Prophetarum tempore Achabi *1. Reg. XXII, 21. sq.* (γ) Historia *Job. c. I, 12. sqq. c. II, 7. sqq.* Conf. *Dn. Berns l. c. c. 23.* (δ) detrusio porcorum in aqvas *Matth. VIII, 32.* Qvæ omnia sine pessima ac inexcusabili scripturarum Sacrarum detorsione aliter explicari neqveunt. Prob. (4.) Ab ipsa experientia, & qvotidiana adhuc, ubi talia occurrunt exempla, qvæ itidem in dubium vocari neqveunt, nisi scepticum velis agere & de omnibus dubitare, qvæ sensibus externis percipis. Qvarum illusionum Satanæ & ipsimet nos testes & oculati & auriti esse possumus, qvi sæpius easdem experti fuimus, ut vel insani essemus, si alii qvam Diabolo istiusmodi effectus adscribere velimus. Prob. (5.) qvia si nulla diaboli hoc in mundo detur operatio, nihilominus tamen opinio illa hominum de eadem, qvæ semper in mundo fuit, adeo periculosa sit, ut, qvemadmodum *Bekkerus* vult, tantum detrahat honori DEI, procul dubio, vel in uno aliqvo loco Spiritus S. id indicasset. At vero

nullibi

nullibi id reperimus. Prob. (6.) qvia alias facile & ipsa *Diaboli existentia* neganda erit. Nam si de Spiritibus nihil constet ex natura, ut Bekkerus probat, omnia etiam loca Scripturæ aliter à *Beckero* explicentur, necessario seqvetur, nullum esse diabolum. Et ex eadem argumentandi methodo facile qvoqve Athei probabunt, plane nullum esse DEum. Conf. hic B. *Falckium in Dæmonol. dissert.* 1. Dicimus (III.) *Dantur speciatim qvoqve operationes Diaboli in animam hominum.* Non qvidem *physice*, ut faciat Diabolus animam vel intelligere, vel velle. Atqve adeo non immediate operatur in intellectum patientem, qvi solus intellectionem elicit, nec recipit intellectus patiens species intelligibiles ab illo, sed à solo intellectu agente. Ita & in voluntatem tantum agit *remote*, proponendo, & svadendo objectum appetibile. Non tamen videtur obstare qvicqvam, qvo minus Dæmon intellectui species qvasdam proponere ac imprimere possit, qvas homini etiam suggerat non raro. vid. B. *Calov. in System. Tom.* 4. *p.* 330. *sq.* Probatur autem hæc operatio Diaboli, (1) à clarissima Scripturæ litera, qvæ de hâc Diaboli operatione sæpius testatur: v. g. de Saule legitur, qvod *spiritus malus* eum perturbauerit, 1. *Sam. XVI*, 15. qvi Spiritus opponitur *spiritui bono*, qvi à Saule recesserat. Non ergo alius qvam diabolus fuit Spiritus hicce malus, isqve cum jam perturbaverit Saulem, animumqve ejus inqvietum reddiderit, omnino qvoqve in animam ejus operatus fuit. Et de *Judâ* proditore legimus, qvod Diabolus se immiserit in cor ejus, qvodqve Satanas in illum ingressus sit *Joh. XIII*, 2. 27. Idem de *Anania* dicitur *Act. V*, 3. Nec hæc loca de malo qvodam homine explicari poterunt, propter plane emphaticas locutiones: sed nisi & hic pessime pervertere Scripturam velim, omnia de Diabolo, ejusqve operatione in animam explicanda erunt. (2) Qvia nulla hic est absurditas. Qvod si enim unus Angelus alteri conceptus suos manifestare poterit, qvare & non animæ humanæ eosdem commuuicare posset? imprimis & cum in anima nostra plane nulla detur repugnantia, qvo minus objectum hocce recipi possit. (3.) Ex qvotidiana experientia. Dum reperimus sæpissime homines istiusmodi motus sentientes, qvi nudæ carni peccaminosæ tribui neqveunt. Sed necessario ab altiore adhuc principio pendent, & freqventissime percipimus à tentatis, obsessis, ac maleficis

ficis qvibusdam ex suggestionibus Satanæ nefanda interdum scelera committentibus. Recordamur & nosmet istiusmodi alicujus exempli: Cum Gryphiswaldiæ ante viginti circiter, & aliqvot annos studiis academicis operam navaremus, & maleficus qvidam, qui Jugulum Confessionarii sui ferierat, pœnas promeritas daret, in carcere eundem una cum Verbi Divini Ministro, qvi ad mortem eum præparabat, sœpius compellavimus, qværentes inter alia: qvî tam horrendum maximeq; abominabile facinus in personam qvandam DeoSacram propriumqve Confessionarium perpetraverit: Respondebat? Vel se ipsum ferme nescire, internâ qvâdam voce, durch einen innerlichen Zuruff / ut germanice loqvebatur, se ad id fuisse adactum, renitente licet & abhorrescente propria voluntate. Qvo etiam factum, qvemadmodum addebat, ut in media nocte tum tenebricosissima, conclave illud, in qvo jugulatus dormierat, sine ullo offendiculo intraverit, jugulumqve tam accurate petierit, qvasi in media luce egerit. Certe istiusmodi casus non nudæ saltem carni, licet utiqve deperditissima sit, videntur adscribendi esse; sed ex alio adhuc fonte fluunt. Conf. hic qvoqve plane *doctissimam disp. Excellentiss. Dn. Professs. Lochneri*, Collegæ Fautoris ac Amici nostri longe honoratissimi *de Suggestionibus Satanæ* Præside *Magnif. Dn. D. Fechtio*, Patre nostro in Christo summopere colendo *Anno 1706.* hic hab. Dicimus. (IV.) *Dantur & speciales operationes Dæmonum in corpus hominum eadem corporaliter obsidendo.* Prob. (1) ex clarissima Scripturæ S. litera, qvæ (a) in genere testatur, qvod Christus sanaverit, qvi sub diaboli potestatem fuerint redacti *Act. X, 38.* Non autem hic intelligi morbos naturales satis ex eo videre est, qvia h. l. non occurrit vocabulum *Dæmonis*, qvo alias morbos naturales illas denotari asserit; sed ipsum vocabulum *Diaboli* reperitur, ut *Beckerus* non habeat, qvod eum fundamento qvodam excipiat, nisi qvod putet, vocem *Diaboli* etiam interdum *dolores conscientiæ* significare. Qvod autem vocabulum hoc absolute sic positum dolores hos significet, nullo argumento probat; & contrarium ex ipsa voce constat, qvæ apud omnes populos *Satanam* s. *malum Spiritum* significat. Jam autem omnino probabile, Petrum ita fuisse locutum, ut & hoc loco intelligi à *Cornelio* potuerit, qvi procul dubio ex famosissimo

vocis

vocis significatu non *dolores Conscientiæ*, sed *Satanam* intellexit. Plane clarissimus & inexpugnabiles qvoqve locus est pro thesi nostra *Luc. X*, 17. *sqq.* (b) Speciatim etiam qvamplurima exempla affert v.g. exemplum Dæmoniacorum illorum, *Matth. VIII*, 28. *sqq. Marc. V.* 2. *seqq. Luc. VIII*, 26. *sqq.* Hic non esse sermonem de morbo qvodam & de Imaginatione qvâdam satis ex eo elucescit, qvia expresse fit mentio spiritus cujusdam impuri apud Marcum & Lucam, imo & *Lucas* expresse dicit *v. 30. nam dæmonia multa ingressa erant in eum*, qvæ verba non sunt *patientis illius*, sed ipsius Spiritus S. indicio non nudam qvandam imaginationem; sed rem vere gestam hic à Spiritu S. narrari. Qvô deinceps accedit ingressus ille Dæmoniorum in porcos, eorumqve præcipitatio in lacum: Non autem id ipse Christus fecit, ut plane ineptissimè putat *Bekkerus*, expresse enim litera Spiritus S testatur dæmonia ingressa esse in porcos. Qvæ si non veræ sint, mentitus fuit Spiritus S. Ni ergo admodum blaspheme *Beckerus* mendacii velit arguere Spiritum S. sententiam suam cujus ne γρὺ fit mentio in textu, mutare debet; Sic & plane illustria exempla habentur, *Luc. XI*, 14. *sqq. Matth. XII*, 22. *sqq. c. XV*, 22. *sqq. c. XVII*, 15. 18. & qvæ sunt istiusmodi alia ita comparata, ut de naturali qvodam morbo sine insigni qvodam textus perversione explicari neqveant. (c) Specialissime adhuc morbos naturales obsessionibus diabolicis expressissime contradistingvit Scriptura *Marc. XVI*, 17. 18. Qvem plane clarissimum locum sibi qvoqve *Bekkerus* objicit, sed ita, ut veritate convictus sibimet ipsi satisfacere neqveat. Prob. (2) ex qvotidiana experientia, qvæ ejusmodi nobis sistit exempla, qvæ morbo naturali neqvaqvam tribui possunt; sed qvorum effectus necessario alii principio à corpore ac anima distincto tribui debent. Qvales v. g. sunt futurorum prædictio, alienarum lingvarum locutio, rerum insolitarum ut ollarum, cochlearium, urceorum &c. deglutitio. Qvæ aliaqve naturales vires omnes excedunt. Dicimus (V) *Sic & speciatim dantur pacta cum Diabolo magorum sagarumqve.* Prob. (1) Ex clarissima Scripturæ S. litera *Exod. XXII*, 18. & *Deut. XVIII*, 10. 11. *Jes. XVII*, 9. Hic & magorum & sagarum fit mentio מכשפים & מכשפה. Et *magos* qvoqve *Ægyptiorum Chaldæorum Persarumqve* hic intelligi, non præfracte negamus. At non

 promi-

promiscue omnes intelligi poterunt, cum sic nec *Moses* nec *Daniel* in populo Domini tolerari debuissent, necessario ergo illi intelligendi erunt, qvi fatentibus adversariis ipsis illicitas tractarunt artes, sed qvales hæ erant artes? certe nonnisi diabolicæ, qvasqve nonnisi ex pacto cum Diabolo exercuerunt, qvemadmodum ad oculum videre est ex *magis* illis *Ægyptiacis*, *Exod. VII, VIII.* Has autem præstigias sine pacto cum Diabolo fuisse factas nemo sanæ mentis sibi persvaderi patietur. Speciatim autem huc qvoqve spectat evocatio mortuorum, *Deut. XVIII*, 11. *Jes. VIII*, 19. 1. *Sam. XXVIII. 8. seqq.* qvæ certe nonnisi per commercium cum Diabolo facta fuit. (2) Ex Exemplis â Scriptura Sacra recensitis qvalia v. g. sunt Magorum Ægyptiacorum modo jam citatorum *Exod. VII.* Bileami *Num. XXII, 7.* collat. cum 2. *Petr. II, 15. 16.* & *Apoc. II, 14.* Sagæ Endoreæ 1. *Sam. XXVIII.* Simonis magi *Act. VIII, 9. sqq.* Barjehu *Act. XIII, 6.* aliorumqve. Qvæ exempla prolixius vindicata vide ap. eos qvi contra *Bekkerum* & Dn. *D. Thomasium* scripserunt. (3.) Qvia tota hæc res nihil absurdi ut qvidem adversarii volunt in se continet. Ex parte enim *hominis* dubium plane nullum est, qvin consignare qvippiam calamo & sanguine, sicqve se obstringere possit. Ex parte autem *Diaboli* rursus nihil impossibile est aut absurdi, cum uti ex modo jam evictis patescit corpus assumere, inqve assumto corpore apparere possit. Cum nunc ergo homo externis signis sese possit obstringere, diabolus autem corpus assumere & per consequens visibili formâ ab aliqvo aliqvid exigere, sequitur absurdi nihil esse, statuere homines qvi se pacto qvodam diabolo obstringant, qvos vulgo magos sagasqve vocare solemus. Prob. (4.) ex qvotidiana experientia, tot exemplis, ipsorumqve magorum ac sagarum propriis confessionibus, de qvibus vide *Glanvil. l. c.* aliosqve scriptores tam antiqviores qvam recentissimos passim. Hæc omnia autem negare aut in dubium vocare hominis sceptici ac male sanæ mentis erit.

§. IV. Jam eqvidem omnia illa loca Biblica, qvæ Bekkerus aliiq; qvam pessime pervertere conantur percurrere non licet hac vice, nec opus erit prolixa qvadam vindicatione, cum qvilibet qvi ipsa loca explicat, jam perspiciat fraudes, perversissimamqve scripturam tractandi & Atheorum more tandem penitus evertendi methodum.

Nec

Nec alia specialiora momenta evolvere brevitatis ergo possumus. Propterea potiora saltem fundamenta, qvibus tota hypothesis nititur, examinare placet; qvibus eversis facile integra illa doctrina eversa erit. Sic *Objic.* (*I*) Diabolum æternis vinculis alligatum esse in suo carcere, in inferno scl. atqve adeo nullam ejus in hoc mundo dari operationē. *Resp.* (1.) vincula hæc non sunt corporea, qvia diabolus est spiritus, qvi istiusmodi vinculis constringi neqvit. (2.) Vinculis suo modo constrictum esse diabolum, lubenter concedimus, sed qvod ita sit constrictus, ut nec in hoc mundo ex permissione DEI operetur, nullibi testatur scriptura, utpote qvæ potius contrarium asserit, ut ex modo jam adductis locis satis videre est. Qvodq; etiam in hoc suo statu in hoc mundo operari diabolus non possit, neqve hoc ullo idoneo argumento probari potest. Et in humanis captivus ubivis carcerem suum, statum qvod concernit, secum habet, & vinculis est ligatus, ubivis est, etiam qvando in palatio Judicis, vel ex permissione Judicis alibi qvoqve est, ubi & simul operari potest. Sic & diabolus. *Objic.* (*II.*) Per hanc potentiam diabolo assertam dicam scribi potentiæ divinæ, eiqve multum derogari. *Resp.* Neg. Nam (1.) operationes diaboli in hoc mundo neqvaqvam operationibus DEI æqviparandæ sunt, qvanqvam sint præter naturam qvæ diabolus agit, nunqvam tamen sunt & supra naturam, qvemadmodum DEus solus agit. (2.) Operationes hæ Diaboli non sunt absolutæ & incircumscriptæ, ita ut ab absoluto ejusdem dominio in hoc mundo simpliciter pendeant; sed utiqve voluntati ac potentiæ divinæ sunt subjectæ. Nihil enim hic agere potest Diabolus, nisi ex permissione DEI, qvæ etiam limites præscripsit, ut ulterius Diabolus excedere neqveat, qvemadmodum ex Historia *Jobi c. I. & II.* ut & ex *Matth. VIII, 31. sq.* aliisqve exemplis passim videre est. Qva ratione potentiæ divinæ plane nihil derogatur, qvæ potius ubivis salva & illæsa manet. *Objic.* (*III.*) Spiritum non posse operari in corpus, nullamqve dari communionem spiritus & corporis, cum spiritus nonnisi per voluntatem agat, eo qvod tactus aliqvis corporeus ipsi ut spirituali essentia prædito non competat. *Resp.* (1.) Spiritum, qva Spiritum absolute non posse operari in corpus, hypothesis est falsissima. Cum alias sequeretur, neqve ipsum DEum operari posse in corpus. Qvippe & ille est Spiritus. Qvo ipso facile omnis operatio DEI in mundo, tandem & ipsa ejus existen-

ta in dubium vocabitur. Rectissime ergo *Bekkeriana* hæc hypothesis proxima ad Atheismum via vocari posset. (2.) Plane nullam esse communionem spiritus cum corpore, itidem falsa qvædam est hypothesis. Anima nostra est Spiritus, & tamen communio qvædam ejus est cum corpore, per qvod & in qvod operatur. (3.) Spiritum & Angelum non aliter posse operari, qvam per voluntatem, itidem est absurdum & falsum, qvemadmodum jam supra contra Cartesianos id evicimus, & si ita per hanc voluntatem suam Angeli prodeant in actum, non aliter qvam ut posita eadem aliud qvid seqvatur in creaturis, qvod tamen totum qvoad suam realitatem efficiat DEus, uti *Cartesiani* explicant, tum certe non Angelus amplius aget; sed DEus ad præsentiam Angeli, &, qvod blasphemum, utiqve omne malum qvod volunt mali Angeli, ad ipsorum voluntatem DEus efficiet. Non hic habet *Bekkerus*, qvod regerat, nisi qvod ad responsionem secundam *excipiat: Animæ aliam esse rationem, cum habeat proprium corpus, & propterea in illud agere possit, hasqve operationes esse notas, á qvo vero ad Angelos nemo argumentari possit, cum corpore sint destituti adeoqve operationes eorum per corpus alienum esse ignotas.* Sed *Resp.* ratio illa hic adducta nulla est. Anima enim nostra ex hypothesi Cartesiana, qvam tenere vult *Bekkerus*, æqve est substantia cogitans intellectu & voluntate prædita, ac angeli; non ergo vi essentiæ spiritualis, de qva sermo est, anima magis alio modo ac voluntate suâ operari potest in corpus, qvam Angelus A qvo & nec ipse Bekkerus alienus videtur esse, qvando *l. 2. c. 7. §. 10. p. m. 44.* ita scribit: **Die Seele wircket auff den Leib / wenn sie denselben nach ihren Willen lässet gehen / stehen / sitzen / liegen etc.** Et sic jam necessaria fiet hæc consequentia: mens vult, ut corpus moveatur. E. moveri debet. Qvæ vero admodum difficilis adhuc. Nam & ipsi illi, qvi *Cartesianis* hypothesibus indulgent, se ipsos penitius inspicientes, judicant, nullam esse connexionem naturalem inter voluntatem mentis, & motum corporis, nec ullam consequentiam, ut mente volente corpus moveatur; sed hoc mere ex arbitrio & Jussu Numinis, qvod duas res toto cœlo differentes corpus & animam tam mirifice copulaverit, dependere. Qvod *Jo. Aalstius & Paul. Steenwinckel in den zeedigen Aanmerckingen §. 57. ex Cartesianis* principiis disputantes contra *Bekkerum*

rum tribus probant rationibus: *Prima* est, qvia clarum & per se notum est, id qvod nescimus, qvomodo fiat, nos non facere; ignoramus autem profundissime, qvomodo manus, pedis, vel lingvæ motus perficiatur, & qvid ad hunc motum peragendum reqviratur. *Secunda & tertia* hæ sunt; qvia si motus ille tam qvoad tempus & durationem, qvam qvoad magnitudinem & extensionem mere ab alio dependet, nihil nobis juris in eum tribuere debemus; dependet autem ab alio qvoad durationem. Simul atqve enim lassitudine, arthritide, vel paralysi membra nostra corripiuntur, motus voluntatem amplius non seqvitur. Sed, qvicqvid enitamur, destituit qvoad magnitudinem, & extensionem. Ex qvibus tandem concludunt citati auctores: Qvia igitur *modus*, qvo mens nostra in corpus operatur æqve ignotus ac ille, qvo angeli in illud operantur, & semper ad arbitrium Numinis ita jubentis recurrendum est, hinc omnes difficultates *Bekkeri* evanescere. Atqve sic ex principiis qvoqve domesticis convictus est *Bekkerus*, non magis essentiæ spirituali angelicæ, qva spirituali, de qva sermo est, repugnare operari in corpus, qvam animæ humanæ. Et qvod anima saltem in proprium corpus agat, non vero in alienum, ut angelus, id inde est, qvia angelus est spiritus completus, anima vero spiritus incompletus, qvi naturaliter ac interne ita cum corpore est *unitus*, ut ei non saltem assistat; sed illud informet. Conf. & *disp.* nostram *de Tentatione Evæ cap. 1. sect. 4. §. 13.* ibiqve citatos. *Objic. (IV.)* Spiritum non posse operari in animam nostram, nisi ejus cogitationes sciat; sed hoc soli competere DEO. *Resp.* Non reqviritur, ut diabolus sciat nostras cogitationes. Sufficit, qvod animæ tanqvam spiritui suos conceptus possit communicare, qvemadmodum & alii Angelo communicat, cujus tamen cogitationes ac conceptus itidem non novit. *Excip.* Scripturam non explicare qvomodo Angelus operetur in animam. *Resp.* Licet Scriptura S. non exprimat modum, sufficit, qvod operationem ipsam sat luculenter asserat. Vide loca supra adducta. Hinc ab ignoratione modi in omnibus ad negandam rem ipsam N. V. C. *Objic. (V.)* Spiritum non habere carnem & ossa ex assertione Christi, non ergo assumere posse corpus, nec in illud operari. *Resp.* Salvator *Luc. XXIV*, 39. non dicit, spiritum non posse assumere corpus; sed οὐκ ἔχει *non habere*, proprium constansq; aliqvod corpus; qvemadmodum homo habet,

bet, ut qvalem, qvi revera resurrexerit, sese Christus discipulis demonstrare volebat, cujus nimirum altera pars essentialis corpus est. Qvo in sensu utiqve spiritus corpus non habet, qvippe qvi potius omnis materialitatis expers est. At vero inde plane nullo modo seqvitur, qvod spiritus non ad tempus corpus aliqvod alienum assumere possit. Contrarium potius ex eo ipso loco probari potest Vide, qvæ de eodem in *præced.* §. diximus. *Objic.* (*VI.*) Non posse Diabolum turbare potentiam & ordinem naturæ invisibilis. E. nec posse corpus assumere, tempestates excitare, hominem per aëra transferre &c. *Resp.* Si per turbationem potentiæ & ordinis naturæ intelligatur opus aliqvod qvod sit contra, vel supra naturam, negamus per assumtionem corporis aliasqve miras diaboli operationes turbari naturam, cum qvidem præter naturam; non autem supra naturam agere possit Diabolus. Si autem per turbationem hanc naturæ invisibilis intelligantur turbæ illæ Diabolicæ in regno suo, seu regno tenebrarum, qvid obstat, qvo minus illas concedamus?

Qv. X.

NUM ORACULIS GENTILIUM UNQVAM DÆMON PRÆSEDERIT?

§. I.

REcentiori hac ætate in Belgio qvoqve famam qvandam sui nominis sibi conciliavit *Medicus* qvidam *Harlemensis* Dn. *Antonius van Dale* variis suis scriptis partim jam olim, partim & de novo editis. Hic Medicus eandem ferme cum *Balthas. Bekkero* fovit sententiam de Diabolo: Sic namqve in *Dissertat. de Orig. & progress. idololatr. p. m. 8. 10. & 227.* docet Diaboli aut ejus operum non fieri adeo mentionem in Scriptura S. & *p. 91.* & *p. 439.* docet, catenis diabolum ligatum esse, qvia adeo nec in Saule *1. Sam. XVI, 14.* operari potuerit, præsertim vero magno cum conamine & illud *l. c. p. 8. sqq.* & in pecul. tr. *de Oraculis* evincere conatur, Diabolum nunqvam oraculis gentilium præsedisse; sed hæc omnia artibus & fraudibus sacerdotum adscribenda fuisse. Sic namqve *dissert. 1. c. 1. p. m. 2.* inter

inter alia thesin suam ponit: *Homines vafri sive auctores, sive fautores hujus idololatriæ, indeqve natarum superstitionum propriiqve commodi honoris, atqve auctoritatis cupidi, talia commenti sunt, sibique ex illis auctoritatem illam parantes, ut inde interpretes Deorum divinæqve voluntatis crederentur, sacrificia qvoqve hinc varia commenti fuere, ac multiplicarunt, atqve ut hisce præficerentur, callide perfecerunt adaugendo semper ulterius superstitiones qvibus facile imperitorum mentes decipere valuerunt.* Mox & *p. 14. & 15.* ridet omnes eos, qvi statuunt, Diabolum per oracula fuisse locutum, & asserta hæc nonnisi pro *superstitione* qvadam *nimiaqve credulitate* habet! Idem & *cap. 2.* agit, testimoniisqve qvibusdam sententiam suam comprobare allaborans, deinceps *cap. 3. & sqq.* considerat (1.) *in qvibus ac qvalibus regionibus constituta fuerint saltem præcipua χρηστήρια* (2.) *qvomodo templa ipsa sive oraculorum septa fabrefacta aut arte, aut natura aut ambabus fuerint; ac qvibus, qvalibusqve modis adornata.* (3.) *Qvalibus qvibusqve modis diversis admodum, reddita fuerint oracula* (4.) *per qvas qvalesqve personas administrata fuerint.* (5.) *Qvibus artificiis (ambiguitatibus qvoqve &c. in responsis) antistites ac prophetæ in iis usi fuerint.* (6.) *Qvanam in æstimatione apud principes ac Magnates plurimos illa oracula fuerint.* (7.) *Qvibus qvalibusqve de causis demum oracula hæc in totum desierint.* Omnia eo tendunt, ut iisdem sententiam suam partim illustrare, partim probare conetur auctor. Vide contra eundem *B. Dn. D. Nathan.* **Falck** *in dæmonolog. dissert. 3. §. 5.* Celeberrimos Dnn. *Auctores* **derer unschuldigen Nachrichten** *Ann. 1702. p. 252. sqq.* conf. & B. *Dn. D. Moebii tr. de Oraculis & B. Dn. D. Hesl. Gottfr. Masii append. ad Antiqvitates Mecklenb. de existentia dæmonis c. 3. §. 6. p. m. 54. sqq.* Disp. VII.

§. II. Prænotamus nos (1.) sermonem esse de *oraculis gentilium vulgo* sic dictis. (2.) Sermonem esse non de eo, qvod interdum contigit; sed de eo qvod perpetuum fuit. Atqve hinc dicimus: *Nonnullis oraculis gentilium utiqve & ipse præsedit diabolus.* Prob. (1.) ex effectibus nonnullis. Sic enim interdum talia futura prædicebant, & ejusmodi abdita prodebant, qvæ humano ingenio plane fuere impervia, qvæqve potius opera principii cujusdam extra naturales hominis

vires operantis fuere. Insignem qvendam locum à *Borrichio* sibi suppeditatum hic affert *B. Dn. D. Masius l. c. p. 60.* ex *Herodot. l. 1.* ubi narrat: Crœsum aliqvando in eo totum fuisse, ut oraculi fidem vel astutiam exploraret, itaqve plures misisse in Græciam simul & Africam, alios qvidem ad oraculum Delphicum, alios ad Dodonæum, nonnullos ad Amphiaraum ac Trophonium, qvosdam etiam ad Ammonem scisitantes, *qvidnam domi ageret Lydorum Rex Crœsus* ? Ipse vero clanculum domi, ut eo difficilior esset conjectura, testudinem pariter & agnum in aheno contusos coqvebat. Unde reliqva qvidem oracula varie responderunt, at Delphicum protinus rem, uti gesta erat, licet tanto loci intervallo disjunctam, versu Hexametro exposuit, qvod cum legati harum rerum ignari narrassent, fidem Crœso fecerunt, vim qvandam superiorem in oraculo Delphico latere, qvæ omnium hominum astutiam longe superaret. Et qvæ his similia. Prob. (2.) qvia & oracula interdum fuere audita, ubi sacerdotes non adfuerunt. Sic e. g. in æneis lebetibus, statuis, arboribus, variisqve corporis humani partibus auditæ perceptæqve sunt voces oraculorum, ita ut interdum hæ artes hominum fraudibus plane nullo modo tribui possint. Prob. (3.) qvia negari neqvit, Diabolum opus suum habuisse in gentilibus à qvibus etiam cultus & adoratus fuit. Cum nunc ergo Diabolus utiqve in hoc mundo operari possit, & operetur, ut ex *præcedent. qv.* patescit, qvid ergo obstat dicere, & oraculis Dæmonem interdum præsedisse ? (4.) Ex Ipso oraculorum silentio, adventante salvatore nostro facto, ut nunc ne ullum qvidem eorum superstit vestigium. Nec valet *exceptio*, causam esse hominum sagacitatem, qvi tandem vatum fraudes subodorantes astutiam pro religione venerari amplius noluerint. Ipse enim Dæmon aliam esse causam prodidit, dum ex Oraculo Delphico *Augusti Cæsari*, de successore scisitanti, tale responsum dedit: πᾶις ἑβραῖος κέλεται μεθεοὺς μακαρέσσιν ἀνάσσων &c. Me *puer Hebræus* &c. Qvod ipsum ne qvis à Christianis confictum esse cum *Juliano Apostata* dicat, obstat insignis *Porphyrii* Locus l. περὶ ἐυλογιῶν φιλοσοφ. Ubi ipse, licet hostis Christianorum acerrimus, Hebræo puero adventante nullam Deorum oraculorumqve vim fuisse asserit. Ergo omnino oraculis qvibusdam dæmonem præfuisse necesse est.

§. III. *Ob-*

§. III. *Objic. (I.)* Omnia ita adaptata fuisse, ut fraudes artesqve vatum callidæ satis conspici possint, imo & reapse fraudes qvamplurimas fuisse apertissimas. *Resp.* Fraudes qvam plurimas hic fuisse commissas lubenter concedimus exemplo Baalitarum, qvorum fraudes detexit Daniel. conf. hic *Voss. de Theolog. gentil. l. 1. c. 6. p. m. 44.* At vero à nonnullis ad omnia, & à particulari ad universale N. V. C. alia nihilominus ita comparata fuere, ut fraudi humanæ tribui neqveant, qvemadmodum jam in præced. §. diximus. Deinde & cum *B. Dn. D. Masio l. c. p. 60.* persvasum omnino illud habemus, sæpe cum fraude sacerdotum egisse Diabolum. *Objic. (II.)* Plurima reperiri *Ciceronis* ac *Luciani* loca, in qvibus oracula suspecta reddantur. *Resp.* Notum est, Scepticos hosce suorum temporum fuisse, qvi tam in veris, qvam falsis scrupulos moverunt, & præterea meris saltem præsumtionibus & conjecturis omnia nituntur, ex qvibus certi nihil probari potest, imprimis & cum rursus ex particulari argumentati sint ad universale, æqve ut *Balthasar Bekkerus*, qvi ex spectris nonnullis fraude hominum efformatis concludit universaliter, plane nulla dari. *Objic. (III.)* Et *Origenem* & *Clementem Alexandrin.* *Eusebium*, aliosqve fraudes hasce gentilibus exprobrare. *Resp.* Patres hi saltem de qvibusdam oraculis loqvuntur; Dæmonem autem hisce oraculis nunqvam præsedisse, non dicunt. Expresse enim *Origenes* in loco, qvem *Dn. van Dale* allegavit, nempe *l. 7. contra Celsum*, ait: *Videamus annon si diligenter rei veritatem expendamus, etiamsi maxime sint oracula, non consequi necessario præesse illis numen aliqvod: sed potius qvosdam malos Dæmonas & Spiritus infensos generi humano &c.* Sic & *Eusebius de Præparat. Evangel. l. 5. p. m. 178. sqq* Statim in inito probat, multorum populorum vaticinia & oracula improborum Dæmonum propria fuisse. Idem & ex reliqvis adductis Patribus probari posset, si necessitas id efflagitaret.

CAP.

CAP. IV.

De HOMINE.

Qv. I.

NUM ANTE ADAMUM CONDITUM JAM PRÆEXTITERINT ALII HOMINES?

§. I.

Isaacus Peyrerius Homo *Gallus*, ex recentioribus in hanc incidit opinionem, diversam esse creationem hominum, qvæ describitur *Gen. I, 26. sqq.* ab illa qvæ describitur *Gen. II, 7. & 18. sqq.* Nempe in prima creatione mundi totam terram hominibus repletam fuisse, perinde ut aliis animalibus, post plura demum secula creatum esse Adamum, unde Judæi descenderunt, atqve adeo illos, cum aliis ethnicis non esse ejusdem originis. Imprimis etiam ex *Cap. V. Ep. ad Romanos* putabat hanc suam sententiam constare. Initio cogitata hæc sua in MSto saltem communicaverat, mox vero *Ann. 1655.* & publicis committebat typis in *Belgio Hispanico* duplex scriptum, licet suppresso suo nomine alterum prostat sub titulo: *Præadamitæ, sive exercitatio super versibus 12. 13. & 14. Cap. V. Ep. ad Rom. qvibus inducuntur primi homines ante Adamum conditi.* Alterum sub hoc titulo: *Systema Theologicum ex Præadamitarum hypothesi pars prima.* Plures adhuc superaddere voluit partes qvæ vero insecutæ non sunt. Qvam plurima plane absurdissima ac impia hic cumulat dogmata, qvorum vero primarium est illud modo jam recensitum; sed captus tandem hic auctor ab inqvisitoribus Belgii revocare errorem coactus est, à religione simul Calviniana ad Pontificiam transgressus, qvamvis in corde homo nullius religionis fuerit. Palinodiam suam hanc cecinit *Ann. 1658.* apud *Alexandr. VII. Pontificem R.* Libelli hujus titulus hic est: *Isaaci Peyrerii Epistola ad Philotimum, qva exponit rationes, propter qvas ejuraverit sectam Calvini qvam profitebatur, & librum de Præadamitis qvem ediderat, cum gratia & privilegio Sereniss. Elector.*

Elector. & Ducum Bavar. & Saxon. S. Rom. Imper. Vicariorum Francofurti impensis Wilhelmi Serlini & typis Ægidii Vogelii, 1658. Conf. Dn. *Daniel. Hartnac. in continuat. Histor. Eccles. Micræliane p. m. 2186. sqq.* & Dn. *Crenium in Exercitat. Histor. Philos. fasc. 2. p. 8.* De iis, qvi *Peyrerio* præluserunt, prolixius egit *Dn. Hartnack. l. c.* Qvomodo & auctor Libri *Philosophia scriptura interpres, Thomas Burnet,* & *Carol. Blount* errorem hunc post *Peyrerium* incrustare conati fuerint, prolixius recenset Maxime Rev. Dn. D. *Hermann. Christoph.* Engelcken jam qq. Collega fautor ac amicus noster longe æstumatiss. in plane *doctissima diss.* sub titulo: *Præadamitismi recens incrustati examen* Præside *Magnif. Dn. D. Jo. Fechtio in Christo Patre nostro summopere colendo Ann. 1698. hab.* & *ann. 1707.* auctior recusa. *Peyrerium* huncce excusat communis ille omnium Hæreticorum, Atheorum, pessimorumq; qvorumvis Empæctarum Advocatus ordinarius *Gottfried Arnold* in der Kirchen- und Ketzer-Historie *part. 3. c. 7. §. 5.* Contra pessimum autem hocce εὕρημα scripserunt qvamplurimi auctores v. g. *Sam. Maresius in refutat. fab. Præadam. Euseb. Romanus in Animadvers. in libr. Præadamitar. J. Pythius in Respons. exetastica Ant. Hulsius in Non-ente Præadamit. B. Dn D. Dannhauer in tr. Præadamita Vtis. Joh. Henr. Ursinus in Novo Prometh. Præadamitarum Plaste ad Caucasum relegato, Joh. Hilpert. in disqvis. de Præadamitis* Magnif. *Dn. D. Schelgvig in disp. de Præadamitis*, B. Dn. D. *Cobabus noster in disp. ad cap. V. Ep. ad Rom. B. Micrælius in Præadamita*, B. Dn. D. *Schomerus noster in Colleg. Novissim. Controv. c. 5. §. 5. Spanhem. in diss. de statu instituto primi hominis Ann. 1655. contra Peyrer.* hab. conf. & *Spanhem. in Elench. Controv. p. m. 623. B. Calov. in System. Tom. 3. p. m. 1051. sqq Thom. Bangium in Cælo Orient.* (qvod idem scriptum nunc etiam prostat sub titulo *Exercitation. Philolog. Philosoph. Cracoviæ Ann. 1691.*) *Exercit. 2. qv. 8. p. m. 132. sq. Barthol. Goldbach in diss.* de hac Controv. *Respondente Dn. Hoynovio Ann. 1682. hab.* B. Dn. *D. Fridem. Bechmann. in Theolog. Polem. Loc. 2. Controv. 6. p. m. 296. sqq. B. Qvenstedt. in System. part. 1. p. 513. sqq. Maxime Rev. Dn. D.* Engelcke *l. c.* ubi & alii adhuc allegantur. Qvibus *Hartnack. l. c. p. m. 2196.* adhuc addit *Hieron. Bignonium, Israelem Bullialdum, & Joh. de Launoy.* Ad huc adde *Joh. Graftium in Theolog.*

log. Positiv. Polem. Loc. 3. qv. 17. p. m. 177. sq. B. Nicol. Ridemann. in Syntagm. Theol. differt. 7. c. 3. p. m. 106. sqq. B. Lassenium in der besiegten Atheisterey *in append. qv. 1. p. m. 889. sqq.* & si qvi sunt alii.

§. II, Cum ergo à tot celebertimis viris, recentior hæc controversia jam sit examinata, eo breviores nos jam erimus. Prænotamus autem (1.) sermonem esse de Adamo non *specifice*; sed *numerice* seu *individualiter* tali. (2.) Sermonem esse de Adamo *Judæo*, non *gentili*; qvamvis Adversarii duplicem statuant Adamum, unum gentilem, qvi Pater gentilium, & *c. I. Gen.* creatus dicitur: Et alterum Judæum qvi Pater Judæorum & *c. II.* creatus fertur. (3.) Sermonem esse de hominibus non *specie* sed *gente* diversis ab ipso Adamo. (4.) Sermonem esse de Præadamitis non *nominalibus*; sed *realibus*, non *falsis*, sed *veris*. (5) Sermonem esse de Præadamitis non *intentionalibus* seu *objectivis*, qvi præextitere in intellectu DEI; sed de Præadamitis *realibus* ac *subjectivis*, qvi in tempore ipso actu producti fuere. Qvibus prænotatis dicimus: *Adamus primus fuit homo in hexaëmero à DEO creatus, nec ulli alii homines ante eum præextiterunt.* Prob. (1.) ex ipsa Historia Creationis, qvæ non saltem plane nihil habet de Præadamitis, sed & contrarium potius indicat. Sic namqve Adamus creatus, *Gen. I, 26. 27. 28.* cum benedictione: *crescite & multiplicamini.* Qva benedictione stante, & DEO post Hexaëmeron à creatione novarum specierum qviescente, asseri non poterit, post hunc hominem adhuc alios creatos esse. Qvo accedit, qvod anteqvam homo ille creatus; qvem *Peyrerius* ipse Adamum illum vocat, de qvo hac vice qværitur, expresse dicitur: qvod *non fuerit homo, qvi coleret terram Gen. II. 5.* infallibili indicio, neminem hominum ante hunc Adamum præextitisse. Qvare & *Eva* dicitur *Mater omnium viventium*, qvi adeo antea præexistere non potuerunt *Gen. III, 20.* (2) ex clarissimo illo loco *Act. XVII, 26.* ubi ex *uno sanguine*; & non ex duplici, *totum genus humanum* dicitur *prodiisse.* Unde & *Adamus* expresse *primus* dicitur *homo 1. Cor. XV, 45. 47.* (3.) Qvia omnes homines tam Judæi qvam gentiles dicuntur filii Adami *Devt. XXXII, 8. 1. Sam. XXVI, 19. 2. Sam. VII, 14. Ps. XII, 2. 9. Ps. XXI, 11. Ps. XXIII, 13. Ps. XLIX, 2. Cohel. III, 19. 21. Jer. XXXII, 19. &c.* (4.) Qvia omnes homines tam gentiles qvam Judæi peccarunt in Adamo *Rom. V, 12.* (5.) ab institutione con-

jugii

jugii *Gen. II, 24.* qvod ante Adamum non fuit *Matth. XIX, 4. sqq.* ubi conjugium cum initio creationis conjungitur, respiciendo ad *Gen. I, 27.* Unus ergo est homo *Gen. I.* & *II.* creatus, nec Præadamitæ qvidam esse potuerunt.

§. III. *Objic. (I.)* Duplicem expresse memorari creationem hominum, alteram *Gen. I.* alteram *Gen. II. Resp.* (1.) & creatio cœli ac terræ omniumqve arborum ac animalium memoratur qvoqve *Gen. II.* qvæ tamen ab illa creatione præced. *c. 1.* recensita non est diversa, sed eadem cum illa est: ita etiam creatio illa hominum *Gen. II.* memorata eadem est cum illa *Gen. I.* qvemadmodum & ex jam *præced.* §. dictis patescit. (2.) Creatio hominis *Gen. II.* saltem distinctius, & qvoad circumstantias qvasdam *c. 1.* non recensitas explicatur. Ex qvo tamen non seqvitur, plane novam hanc esse creationem. *Objic. (II.)* Cainum fratricidam metuisse homines, atqve adeo Præadamitas præextitisse. *Resp.* Hi homines, qvos Cain metuit, non fuere Præadamitæ & gentiles, qvare enim illi causam Adamitarum egissent? Sed fuerunt procul omni dubio alii Adami liberi, vel etiam ipsius Abelis nati, non enim probabile est, conjugium Abelis fuisse sterile. Adamus etiam omnino plures genuit liberos qvam illos, qvos Scriptura S. recenset. *Objic. (III.) Rom. V. 14.* ex qvo loco fingitur, eos, qvi non peccarunt ad similitudinem Adami & morti tamen sunt obnoxii, esse Præadamitas s. gentiles, qvi ante Adamum vixerunt. *Resp.* Præadamitas hic non posse intelligi satis ex eo videre est, qvia sermo est de tempore inter Adamum & Mosen currente, & de hominibus omnibus, ab *uno* qvidem *homine* ortis *v. 12.* qvi *unus homo* non alius est, qvam hic ipse Adamus. Ii autem qvi non peccaverunt ad *similitudinem transgressionis Adami*, non sunt Præadamitæ; sed omnes homines ab Adamo primo illo homine orti, qvi licet qvidem non idem illud peccatum, qvod *formaliter* & in *individuo Adamus* perpetraverit, commiserint, & de arbore vetita comederint, nihilominus tamen regnanti morti subjecti fuere, partim qvia idem illud Adami peccatum ipsis imputatum fuit: partim qvia, qvod ex transgressione illa Adami fluxit, naturæ scilicet vitium, seu Justitiæ originalis carentia, & contraria illa qvalitas vitiosa, per carnalem qvoqve generationem ad posteros Adami transiit. *Objic. (IV.)* Fuisse Coriarios, & alutarios, nec non pelli-

ones

ones, qvi pararunt vestimenta primis parentibus post lapsum, fuisse ergo Præadamitas. *Resp.* Non homines Præadamitas; sed ipsum DEum primis hominibus lapsis parasse & confeciſſe vestimenta, clariſſima Scripturæ litera testatur *Gen. III, 21. Objic. (V.)* Cainum ædificasse urbem, plures ergo fuisse homines. *Resp.* Præadamitas hos fuisse dicitur, non autem probatur. Certius omnino est, jamdudum eo tempore familiam Adami creviſſe, unde de condenda urbe cogitare potuerit Cain. Ex iisdem facile qvoqve ad reliqvas objectiones responderi poterit.

Qv. II.

NUM ANIMA HOMINIS NATURA SUA MORTALIS SIT?

§. I.

EX recentioribus immortalitatem animæ qvondam negavit *Thomas Hobbes in Leviathan. c. 44. p. m. 294. ſqq.* Ubi inter alia ita: *Anima immortalis nuſqvam legitur neqve ſubſtantia incorporea à corpore ſeparata. Spiritus autem & vita æterna paſſim leguntur. Qvod animæ fidelium, non ſua natura; ſed gratia DEI ſpeciali una cum corporibus à reſurrectione manſuræ ſunt in æternum ex Scriptura S. oſtenſum eſt &c.* Recentiſſime hypotheſes hasce in Anglia recoqvere ausus est *Medicus* aliqvis *Londinenſis William Coward*, qvi *Ann. 1703.* edidit *Londini cogitationes poſteriores de anima*, in qvibus defendere voluit, animam noſtram non esse, niſi subtilem aliqvem ignem, atqve adeo materialem, & juxta tenorem totius Scripturæ esse vitam hominis, h. e. unam eandemqve esse virtutem, qva homo movetur, vivit, sentit, ratiocinatur, qvæqve in corpore reperiatur; qvamdiu vivit, prorsus ceſſet, qvamprimum illud interit; sed rursus extitura sit, qvamprimum in reſurrectione univerſali corpus mortuum reviviſcet. Refutavit eum *Johann. Broughton in Pſychologia* seu *tr. de natura animæ rationalis Londin. Ann. 1703.* Contra qvem autem defendit seſe *Cowardus Anno 1704. Londini* edens *Eſſay*, sive *vindicationem Rationis & religionis contra impoſturas Philoſophiæ*; sed *Cowardum* præterea adhuc refutarunt *William Aſſheton* in à *vindication of the immortality of the ſoul, Dn. Lesley in diſſertatione & Monſ. Menard*

Menard dans doctrine de l'Ecriture sur la nature de l'Ame & son etat apres la mort, perstitit nihilominus tamen in opinione sua *Cowardus*, eamqve *Ann. 1706.* adhuc defendit in *tr. Londini* edito sub titulo: *The Just Scrutiny: or a serious enqviry into the modern notions of the soul. &c.* Scripta autem *Cowardi* dicuntur publice in Anglia cremata fuisse. Confer & de his Celeberrimos Dnn. auctores Derer unschuldigen Nachrichten *Ann. 1703. p. 653. Ann. 1704. p. 353. & Ann. 1707. p. 745. sqq.* Post *Cowardum* & doctissimus ille alias *Dn. Henric. Dodwellus* eandem ferme sententiam, sed aliis adhuc hypothesibus circumvestitam defendit, in scripto, *Ann. 1706. Londini* edito sub titulo: *An epistolary Discourse proving from the scriptures and the first fathers, that the soul is a principle naturally mortal but immortalized actually by the Pleasure of God to Punishment, or, to Reward, by its union with the divine Baptismal Spirit. Wherein is proved that none have the power of Giving this divine immortalizing Spirit, since the Apostles, but only the Bishops.* i. e. *Discursus epistolaris, probans ex Scripturis & primis Patribus, qvod anima sit principium naturaliter mortale, actualiter autem immortale fiat vel per merum DEI arbitrium, ut puniatur, vel ut præmium accipiat per unionem illius cum divino Spiritu Baptismali. Ubi simul probatur, neminem post Apostolos habere potestatem dandi Spiritum divinum immortalizantem nisi Episcopos.* Qvo ex titulo jam qvodammodo mens *Dodwelli* constabit. In opere ipso *p. m. 69. sq.* asserit duas principales theses esse, pro qvibus militet; (1.) *natura animam nostram esse mortalem* (2.) *actualem ejus immortalitatem esse à Spiritu.* Hinc jam tres statuit hominis partes essentiales: *corpus, animam, Spiritum*, qvarum differentiam per totum librum urget. Animam statuit corpoream corruptibilemqve, idqve ex sensu tormentorum epulonis probat *p. 101.* conf. & *p. 183.* Ex hac materialitate jam colligit mortalitatem animæ naturalem, & *p. 128.* ex *Rom. V, 14.* probare id conatur, ubi ad Adamo ad Mosen mors regnasse dicitur. Patriarchas qvidem excipit ibidem, qvoniam fuere intra peculium, cui Spiritum immortalem & vivificantem DEus superaddiderit. Ceteras tamen gentes extra peculium ab Adamo ad Mosen, qvin à Mose itidem ad Christum natura & actu mortales fuisse contendit. conf. *p. 118. sq.* Et *p. 141.* asse-

rit, non resurgere gentes extra peculium collocatas, pœnam eorum esse temporalem. Et *p. 14.* negat æternam damnationem gentilium, qvi nihil de Christo audiverunt in V. T. *Pag. 141.* Judicium extremum, æternamqve damnationem gentilium qviin N. T. non crediderunt, concedit. Hanc autem esse novam revelationem à Paulo primo omnium factam, probat ex *Act. XVII, 31.* Animas ceteroqvin diutius supereſſe postqvam è corpore migrarunt, & usqve ad Judicium extremum perseverare omnes & singulas existimat, ut videant justa DEI in hac vita fuisse judicia *Cohel. XII, 14.* Deinde igne perituras eorum, qvi Spiritu caruere animas affirmat *p. 145. sqq.* Immortalitatem actualem piis in peculio V. T. comprehensis incognitam fuisse putat *p. 162. sqq.* Christum autem inferis prædicantem eam patefeciſſe *p. 170.* Adamo lapso immortalem spiritum, alioqvi in posteros propogandum, amissum esse *p. 24. sq.* & *p. 159. sqq.* tradit. Unde nulla nunc naturalis immortalitas, & animæ post mortem vita infinita *p. 33.* Nisi Spiritus, qvem adventitiam naturam nominat *p. 66.* effundatur à DEO. Rejicit argumentum *Carteſianorum*, aliorumqve omnium, qvi naturam immortalem esse ducunt animam, & id ex ratione probare conantur, solam revelationem docere animarum immortalitatem, eamqve actualem *p. 104.* Baptismum, scl. Spiritus, animæ conferre immortalitatem, baptismum aqvæ corpori. Ideoqve etiam mortuos Judæos fideles à Christo aqva baptizatos esse, & qvosdam gentiles mortuos ab Apostolis, ex sententia priorum Patrum *p. 175. sqq.* Ἅδην ad lunam usqve protendit *p. 240. sqq.* variasqve animarum separatarum regiones esse asserit. Qvomodo autem animæ incredulorum in N. T. qvi neqve baptismum aqvæ neqve Spiritus voluere assumere, immortales ad æterna supplicia reddantur, divini esse arbitrii scribit *p. 42.* Baptismum autem illum, qvi immortalitatem animæ confert, hodie nonnisi ab Episcopis accipi posse docet, de qvorum præstantia & dignitate, jureqve Spiritum vivificantem conferendi *p. 289.* agit. Potiores hæ sunt connexæ hypotheses, qvas *Dodwellus* in citato illo tractatu proposuit. Satim autem in Anglia Doctores ejusdem insignibus hisce absurditatibus contradixerunt. Sic namqve *Samuel Clarke Londini Ann. 1706.* edidit *a Letter to Monſ. Dodwell*, qvæ *epistola* & *Ann. 1708.* jam *tertia vice* edita est, in qva omnia argumenta *Epistolaris*

discursus

discursus examinantur. Præterea adhuc eundem *Epistolarem discursum Dodwelli* refutarunt *Edm. Chishull.* in tr. sub titulo: *a Charge of heresy maintained against Mons. Dodwells late Epistolary discourse London 1706. John Turner in Justice done to human souls in a Short View. Lond. 1706. Jeremias Collier* in tr. sub titulo: *Human souls naturally immortal, London Ann. 1707. Daniel Whitby in Reflections on some assertions and opinions of Mons. Dodwell London 1707. Thomas Milles* in tr. sub titulo: *The natural immortality of the soul Oxford. 1707. John Norris in a Philosophical discourse concerning the natural immortality of the soul. London 1708.* Non tamen tacere voluit *Dodwellus.* Sed defendit se in scripto sub titulo: *A præliminary defence of a late epistolary discourse London 1707.* in cujus *parte secunda* speciatim refutat *Chishulls Charge of heresie.* Idem *Dodwellus* adhuc in defensionem sui scripsit *the Scripture account of the eternal Rewards or punishments of all that hear of the Gospel, Without an immortality necessarily resulting from the Nature of the Souls themselves that are concerned in those Rewards or punishments. London 1708. Dodwelli* partes egit, ejusqve *epistolarem discursum* imprimis contra *Dn. Chishull,* & *Dn. Whitby* vindicavit *Presbyter* qvidam *Anglicanus* (qvi est *John Pitt*) in tractatu sub titulo: *H χαρις δοθεισα 2. Tim. I, 9. that is the holy Spirit the author of immortality or immortality a peculiar grace of the Gospel no natural ingredient of the soul. London. 1708: Dodwellus* autem in hac causa adhuc scripsit *an explication of a famous passage in the Dialogue of S. Justin Martyr with Tryphon concerning the immortality of humane Souls. London 1708.* In cujus *appendice Johannem Norris, Dn. Clark* & *Dn. Chishull* graviter refutat. Adversus qvos insultus *Dn. Chishull* se tuetur in scripto sub titulo: *Some testimonies of Justin Martyr set in a true and clear Light. London. 1708.* Qvod scriptum autem denuo refutare conatur *John Pitt in a Defence of the Animadversions on Mons. Chishulls Charge of heresie &c. London 1708. Dn. Clarck* causam suam egit in *qvatuor Defensionibus anglice* scriptis, & *Londini Anno 1707. & 1708.* editis. Ad qvas vero simul editæ sunt & *a reply & Reflections & an Answer Londin. Ann. 1707. & 1708.* Et Dn. *Coward* supra citatus *Dodwellum* in iis, in qvibus à sententia sua abit, refutavit in *the just scru-*

tiny Ep. 3. Hæc sunt scripta controversiæ hujus, qvæ hactenus ex Anglia ad manus nostras pervenerunt. Et Dn. *Smalbrook* dicitur *sermonem* aliqvem contra *Dodwellum* edidisse, qvem autem, forteqve adhuc alia, qvæ edita sunt scripta, videre nondum licuit. In Germania contra *Dodwellum* egit Magnif. Dn. D. *Loescher ex Prænotion. Theol. p. 75. sq.* Contra eundem *Dodwellum* qvoqve doctissimam qvandam disputationem *Helmstadii Ann. 1707.* habuit. Excellentiss. *Dn. Lic. Jonas Conr. Schrammius de Naturali animæ humanæ immortalitate.* Brevi qvadam censura etiam sententiam Dodwellianam notarunt Summe Reverendi, deqve Ecclesia J. C. immortaliter meriti Dnn. auctores **derer Unschuldigen Nachrichten** *Ann. 1706. p. m. 450.* conf. & contra *Dodwell.* Præclariss. *Dn. M. Nicol. Grubb. diss. 2. de Anima Gryphiswald. Ann. 1708. hab.* Jam controversiæ huic *Dodwellus* dicitur immortuus esse. Alias amici nonnulli ex Anglia reduces nobis retulerunt, à qvamplurimis doctis in Anglia ita de controversia hac judicatum fuisse, qvasi Dodwellus tam absurdam sententiam non serio defendere voluerit; sed qvod saltem reliqvos exercere voluerit, hodiernorumqve Episcoporum in Anglia, qvos ut Jacobita pro legitimis non habuit, auctoritatem in Sacris, & sic qvoqve circa administrationem Baptismi dubiam reddere; Sed nihilominus tamen, sive serio, sive non serio *Dodwellus* senserit, ipsa sententia breviter examinanda erit. Contra *Hobbesium* adhuc vide *Joh. Templer in idea Theolog. Leviathan. Dogmat. 37. p. m. 297. sqq. Gisbert. Coqvium in Hobbesianism. Anaton. Loc. 9. cap. 16. n. 16. p. m. 176. sqq. Seth in a Philolsophical Essay Oxford Ann. 1677. edit. part. 2. p. m. 37. sqq. & Tho. Tenison in the Creed of Mons. Hobbes examined p. m. 233. sqq.* conf. hic qvoqve *William Nicholls a Conference With a Theist part. 2.* Et Auctor ille *Anonymus*, qvi qvondam scripsit *seriam disqvisitionem de statu loco & vita animarum p. m. 136. sq.* animam aliqvo modo mori posse docuit. Qvem refutavit *B. Bebelius in Exam. Seriæ disqvisit. Argent. Ann. 1671. edit. p. m. 157. sqq.*

§. II. Eqvidem varia dogmata ad alia alias loca spectantia, imprimis in *Controversia Dodwelliana* occurrunt, attamen propter connexionem causæ omnia momenta breviter hoc loco considerare placet. Prænotamus autem, (1.) Non esse sermonem de *anima*

sensitiva

ſenſitiva & *vegetativa*, ut nonnulli diſtinguunt, qvam & cum brutis, aliisqve corporibus communem habemus; ſed de *rationali* illa homini tantum propria. (2.) Non eſſe ſermonem de *immortalitate abſoluta*, qvæqve ſoli DEO eſt propria; ſed immortalitate illa *ſecundum qvid*, qva eſſentia qvædam initium qvidem aliqvod habet; in ſua natura tamen principio corruptionis deſtituitur. (3.) Sermonem eſſe non de *immortalitate glorioſa* beatis competente, qvam omnino ex gratia eſſe lubenter concedimus; ſed de immortalitate animæ *in ſe conſiderata*, ſuaqve natura. (4.) Non qværi an anima qvatenus pars hominis cum unito corpore conſtituat totum aliqvod mortale, hominem ſcilicet? Qvod libenter concedimus; ſed num anima ipſa in ſe ſuaqve natura ſpectata habeat principia corruptionis & mortalitatis. (5.) Non eſſe ſermonem de *gratia* primi articuli & *creationis*; ſed de *gratia ſanctificationis* & tertii articuli. (6.) Non qværi: an notitia naturalis de immortalitate animæ ſit *omnimode perfecta*; ſed an *ſufficientibus argumentis* ex ratione depromtis probari poſſit? (7.) Non eſſe ſermonem de morte *hominis*; ſed qværi num *anima* moriatur? (8.) Non qværi an anima poſſit mori morte *ſpirituali* & *æterna?* Sed an moriatur morte *corporali*, & an corrumpatur æqve ut corpus? Qvibus prænotatis dicimus. (1.) *Anima rationalis hominis utiqve eſt immaterialis.* Prob (1.) qvia anima eſt πνεῦμα ſpiritus, teſte ipſa Scriptura Sacra *Luc. XXIII, 46. Pſ. XXXI, 6.* collat. cum *Joh. X, 17. ſq.* conf. & *Act. VII, 59.* Jam vero ſpiritum nihil *materialitatis* habere, jam in *Theolog. recens Controv. c. 1. q. 15.* probatum dedimus. (2.) Qvia animæ eſſentia plane nullo modo dependet à materia, nec in *fieri*, nec *in eſſe*, nec *in operari.* Non *in fieri*, qvia non à materia producitur; ſed ab anima parentum, tanqvam ſpiritus à ſpiritu vi benedictionis divinæ, qvemadmodum & ratione primæ originis non ex materia qvadam creata fuit anima *Gen. II, 7.* ut tamen exinde non ſeqvatur, animam eſſe particulam auræ & eſſentiæ divinæ, ut Theologi Platonici, hodierniqve Fanatici ac Myſtici volunt. Bene *B. Laſſenius* in der beſiegten Atheiſterey *p. m. 512. ſq.* Ihr ſehet daß die Sonne ihre Strahlen zwar dem Chryſtall gönnet und ihn damit herrlich machet. Sie verliehret aber darumb von ihren Weſen nichts: Alſo theilet die Gottheit mit der Seelen ihren Glantz / bleibet

aber in ihren Wesen unzertheilig / und umb solches Göttlichen Glantzes Willen ist die Seele unsterblich &c. Sic nec dependet anima à materia *in esse*, qvia ex elementis conflata non est, aut ex materia & forma constat, hoc modo enim anima foret corpus physicum, & sic unum corpus physicum forma informans esset alterius corporis organici: imo si corpus esset constans materia & forma, esset aut *animatum*, aut *inanimatum*; Si *hoc*, non posset homini largiri vitam. Si *illud*, anima aut foret homo, aut brutum, aut planta, haberemus homines duo possidentes corpora, bis morituros, & primo qvidem rupto vinculo naturali, qvo corpus & anima colligantur, deinde & qvando animæ forma ab ejus materia separari deberet, & qvæ sunt alia absurda ex hoc fonte promanantia. Contrarium itidem testantur *intellectus* & *voluntas*, qvæ ex ejus essentia fluunt, suntqve tales perfectiones, ut formaliter non tantum Angelis; sed & ipsi DEO competant. Ex cujus itaqve essentia ejusmodi fluunt perfectiones, qvæ etiam formaliter in ipsum DEum cadunt, id ipsum qvoqve est immateriale. Deniqve nec anima dependet à materia *in operari*. Operationes enim animæ principaliores sunt *intellectio* & *volitio*. At hos actus immateriales esse apparet ex genere illorum, qvod tales sint, ut, qvemadmodum jam monitum est, etiam DEO & Angelis conveniant, qvibus nihil materiæ inest. Tum etiam pro istis actibus non potest nominari ullum organum, per qvod magis ii exerceantur, qvam per aliud, sicut ad visionem & auditionem, qvi sunt actus materiales, natura deputavit oculos & aures. Elucet autem ista immaterialitas horum actuum in nobis multipliciter. Etenim humana cognitio adeo est subtilis, ut ad intimas etiam rerum spiritualium, & aliarum qvidditates penetret, vel penetrare contendat, effectus autem non est nobilior sua causa. Adeo est sagax, ut qvæcunqve sunt reipsa conjuncta, discernat, dijudicetqve, qvidnam ad earum pertineat essentiam, aut qvid ex ea profluat qvid contingenter insit. Est etiam adeo potens, ut qvæ neqve sunt neqve esse possunt, & apud se fingat, & varios modos atqve habitudines inter ea excogitet, ut à minimis effectis ad summas causas discurrendo progrediatur, ut in se qvoqve animadvertat, qvam certo vel evidenter objectum attigerit, seipsum à qvacunqve re alia, atqve adeo ad objecto distinguat. Spectat hic etiam, qvod anima horum omnium sit conscia

qvod

qvod certe materiæ tribuere omnino erit absonum, & qvæ sunt alia, conf. *B. Dannhauer in Colleg. Psycholog. disp. 5. p. m. 127. B. Scheibler. in Metaphys. l. 2. c. 5. tit. 2. artic. 4. p. m. 664. Excellentiss. Dn. M. Petri Westphalii Præceptoris qvondam nostri colendissimi doctiss. disp. de immmortalitate animæ Gryphiswald. Ann. 1691. hab. § 9. B Dn. Georg. Meier in Pneumat. p. m. 783. sq. B. Jo. Ad. Osiand. in append. ad Colleg. Theol. System. p. m. 244. sqq.* aliosqve Pneumaticos passim. (3.) A contradictione adversariorum. Et hic contra præsentes nostros notari poterit discursus in *tr. Anonymi Lipsiæ An. 1706.* edit. sub titulo, Der verzweiffelnde Atheist, ubi *p. m. 18. sqq* hæc habentur: Von allen und jeden Philosophis wird es als eine außgemachte und unstreitige Sache zugegeben / daß ein materialisches Wesen sich sowohl zur Bewegung als zum stille liegen bringen lasse. Stehet es stille und ist in Ruhe / so würde es ewig also liegen und ruhen / wofern es nicht von etwas anders beweget werden solte. Und im Gegentheil wann es von etwas in Bewegung gebracht worden / so muste es sich unaufhörlich bewegen / wenn es nicht von einem andern entgegen kommenden materialischen Wesen auffgehalten / und in seiner Bewegung verhindert würde. Diejenige welche vorgeben / daß die Seele eine gantz subtile und reine Materie sey / bekennen zugleich / daß selbige zu allererst die Lebens-Geister bewege / von welchen so dann die Nerven und Spann-Adern / von diesen aber ferner die Gliedmassen / als Arme Beine etc. nach Art mechanischer Dinge beweget würden / nicht anders als wie eine Materie die andere beweget. Solcher gestalt nun sehen wir / daß diejenige / welche also vorgeben / daß die ihren Gedancken nach materialische Seele die erste Ursach der Bewegung sey / Krafft dessen auch nothwendig statuiren müssen / daß ein materialisches Wesen sich selbst bewege: welches aber ja nach obbemeldten Philosophischen Satz unmöglich ist / als welcher haben will / daß etwas materialisches ewig würde stille liegen / wann es nicht von etwas anders ausserhalb sich selbst beweget würde: Da hingegen gleichwohl offenbahr ist / daß die Seele den Leib dergestalt bewege / daß sie gantz keiner andern materialischen Sache hierzu bedarff / als welcherley unmöglich sich bewegen könte / wofern es nicht von

etwas

etwas anders auſſer ſich ſelbſt in Bewegung gebracht wurde. Dannenhero iſt hierauß zu erſehen/ daß die Seele nichts materialiſches ſey: Eqvidem hæc omnia negare videtur *Cowardus*, *excipiens* adverſus hæc: materiam habere principium motus in ſe, ſicqve movere poſſe ſemetipſam. At vero principium petit, nova principia fingendo omni ratione deſtituta. Plura alia brevitatis ergo tacemus. Dicimus (II.) *Anima natura ſua non eſt mortalis.* Prob. (1.) ex immaterialitate modo jam aſſerta. (2.) A clariſſima Scripturæ S. litera, qvæ teſtatur, animam non habere eundem cum corpore ortum *Gen. II, 7.* de qvo dicto jam ſupra diximus. *Cohel. XII, 7.* Spiritus expreſſe dicitur ſupereſſe, pereunte licet corpore. Imo plane clariſſimum habemus dictum Salvatoris noſtri *Matth. X, 28.* ubi animam æqve ac corpus perire poſſe expreſſe negat. Plura loca Biblica collegit, eorumqve emphaſin nervumqve probandi egregie oſtendit B. *Dn. D. Hector Gottfr. Maſius* in der Väterlichen Erinnerung an ſein: Kinder von der Seelen Unſterblichkeit *c. 2. p. m. 28. ſqq.* Qvod autem naturâ anima ſit immortalis, patet ex eo, qvod Spiritus S. eandem qva Spiritum & ratione originis ſuæ, & in contradiſtinctione ad corpus in citatis locis vocet immortalem, non ergo ex gratia ſanctificationis. (3.) A providentia divina. Datur DEus, isqve juſtus ac bonus, remunerator boni & vindex mali. Jam vero qvotidiana teſtatur experientia, Bonis ſæpe male, malis bene omnia ſuccedere. Aut ergo ſeqvetur, DEum non habere rerum omnium curam, nec juſtum eſſe nec bonum: aut poſt hanc vitam dari aliam. *Illud* foret non DEum ſtatuere, & ipſiſſimus eſſet Atheiſmus. Ergo neceſſario *hoc* erit, & per conſeqvens anima non poteſt eſſe mortalis, & qvidem naturâ ſuâ, ſed potius immortalis eſt, cum & ii qvi extra gratiam ſint, ſic concludant. (4.) A deſiderio perennitatis, naturaliqve ad illam inſtinctu (5.) à conſenſu omnium ferme gentium ſaniorum, ac moratiorum. *Percurre*, inqvit Mornæus de verit. relig. c. 5. *ab ortu ad occaſum, à ſeptentrionibus ad auſtrum, non Turcas, Arabes, Perſas; ſed qvi imprimis barbari, rudes, feri habentur, Anthropophagos Canibalos, Caribas hanc toto orbe fidem unanimi gentium omnium conſenſu receptam & approbatam invenies &c.* Dicimus (III.) *Actualis immortalitas animæ non demum eſt à Spiritu, ſeu per gratiam ſanctificantem in Baptiſmo.* Prob. (1.) qvia

(1.) qvia anima jam in se suaqve natura, atqve adeo jam ante Baptismum & immaterialis est & immortalis, ut ex modo jam adductis patebit. (2.) Qvia promiscue omnes, qvi in sepulchris sunt, atqve sic etiam non baptizati, dicuntur resurrecturi *Joh. V, 28. 29.* & qvidem vel ad æterna gaudia, vel ad æterna supplicia *Dan. XII, 2.* E. qvædam animæ etiam sine Baptismi gratia erunt immortales. (3.) Qvia & illi, qvi DEum non agnoscunt, adeoqve & non baptizati sunt, dicuntur æternam damnationem passuri 2. *Thess. I, 8. 9.* (4.) Qvia & gentiles, qvi sunt extra gratiam æternas sibi pœnas cumulant *Rom. I, 8. 9. 12.* Ergo & immortalitas qvædam datur sine gratia. (5.) Qvia Spiritus ille in Baptismo datus poterit amitti *Ps. LI, 13.* ergo anima immortalis facta iterum fieri potest mortalis. Si vero nunc jam denuo immortalis debet fieri, rebaptizanda erit. Qvod absurdum. Aut si per pœnitentiam iterum restituitur immortalitas, anima uno die vel centies & ultra & immortalis erit & mortalis. Qvæ omnia ἄλογα & absurda: Aut si Spiritus ille non potest amitti; sequetur, neminem baptizatum damnari posse. Qvod vero denuo absurdum. Contrarium ex exemplo Judæ, aliorumqve constat, vide & *Hebr. VI, 4. sqq.* Dicimus (IV.) *spectant huc non saltem gentiles, qvi in N. T. non crediderunt, sed & qvi ab Adamo ad Mosen, & à Mose ad Christum extra peculium collocati fuere, hi omnes resurgent ad æterna supplicia.* Prob. (1.) ab universalitate literæ *Joh. V, 28.* (2.) Ab exemplo Sodomæorum, Tyriorum, & Sidoniorum, qvi gentiles fuere ante Mosen & Christum, & tamen in altero die dicuntur resurrecturi, ut immortales ad æterna supplicia *Matth. XI, 22. 24. Ep. Jud. vers. 7.* Eqvidem hic excipit Dodwell. dist. inter ignem *infernalem* & *cœlestem*, *hunc* hoc loco vult intelligi, non *illum*, cœlestia enim æterna dici stylo Scripturæ. At vero absurdè omnia, & *infernalia æterna* dici satis videre est ex *Jes. LXVI, 24.* & *Apoc. XX, 10.* &c. (3.) A damnatis illis immortalibus Spiritibus in carcere, qvibus Christus prædicavit. *1. Petr. III, 19. 20.* inter qvos & gentiles fuere ab Adamo ad Mosen. Ex qvibus ipsis locis simul constat, pœnam horum gentilium non mere temporalem; sed omnino qvoqve æternam fuisse. Dicimus (V.) *Non ergo nova qvædam revelatio est æterna damnatio gentilium in N. T. credere nolentium.* Prob. (1.) ex modo jam dictis. (2.) Qvia & gentiles in V. T. Disp. VIII.

plurima de immortalitate animæ, aliaqve vita post hanc vitam scripserunt ut *Pythagoras*, *Plato*, *Aristoteles* aliiqve, de qvibus conf. *B. Calov. in System. Theol. Tom. 3. p. 1222. sq.* & *Hottinger in Corp. Theol. Christ. Loc. 6. n. 88. Tom. 1. p. m. 220.* Non ergo dogma fuit penitus absconditum. *Objicitur* Locus *Act. XVII, 30. 31. Resp.* Hoc in loco saltem hoc dicitur, *partim* qvod DEus erga hominum ignorantiam etiam crassissimam adeo longanimis fuerit; ut licet causas multas habuerit delendi homines; hoc tamen non fecerit; sed tempus N. T. sub qvo Evangelium omnibus prædicandum, exspectaverit; si vel tum de ignorantia sua pœnitentiam agerent: *partim* qvod simul in Christo peccata ignorantiæ etiam crassissima pœnitentiam agentibus remittere decreverit; & ad pœnitentiam aditum permiserit: Atqve sic fieri potuit, ut omnibus hominibus pœnitentia salutaris prædicari potuerit, vid. *Seb. Schmidt in Colleg. Bibl. post. p. 269.* & *B. Calov. in Bibl. Illustr. N. T. in h. l. p. 910.* Æternam autem damnationem DEum olim comminatum non fuisse; sed eam demum in N. T. fuisse revelatam ex hoc loco plane nullo vestigio probatur, imprimis & cum contrarium clarissime pateat ex prophetia Enochi *Ep. Jud. vers. 14. 15.* ex prædicatione Noæ *2. Petr. II, 5. Gen. VI, 3.* conf. & *Ps. XLIX, 20. Jes. LXVI, 24. Dan. XII, 2. &c.* Dicimus (VI.) *Neqve etiam dantur tres homines partes essentiales, ita ut anima à Spiritu sit distincta.* Prob. (1.) qvia nullibi Scriptura S. Spiritum ab anima distinguit, ut essentialem qvandam hominis partem; sed qvando stylo Scripturæ *Spiritus ab anima* distinguitur, tum semper per Spiritum intelliguntur motus illi Spirituales à Sp. S. in anima fidelium excitati: Hunc autem *Spiritum* vocare partem hominis essentialem, plane absurdissimum est, cum alias seqveretur, infideles, & non baptizatos non esse veros homines, & qvia hic Spiritus propter peccata ab homine recedit, & in pœnitentibus per fidem denuo redit, seqveretur etiam, hominem modo esse verum hominem, modo non, qvæ sunt contradictoria & absurda. (2.) Qvia in Historia creationis *Gen. II, 7.* ubi locus habetur classicus, duæ saltem essentiales partes hominis recensentur, ita ut *anima* simul qvoqve vocetur *Spiritus*, non qvidem inhabitans ille ex gratia sanctificationis; sed ratione essentiæ suæ ex gratia creationis. Qvo in sensu inter animam & Spiritum juxta Scripturam S. plane nulla est differentia; sed sunt potius

tius vocabula hæc Synonyma grammatica, vid. *Cohel. XII, 7. Matth. XXVII, 50. Luc. XXIII, 46. Joh. XIX, 30.* collat. cum *Joh. X, 17. &c.* (3.) Qvia & alibi in Scriptura S. duarum saltem partium essentialium hominis mentio fit v. g. *Cohel. l. c. Matth. X, 28. &c.* Atqve sic nullibi istiusmodi Spiritus immortalizantis Dodwelliani fit mentio. Dicimus (VII.) *Atqve sic nec animæ qvædam in judicio extremo igne peribunt.* Prob. (1.) est hactenus jam dictis & probatis. (2.) Qvia in extremo Judicio uti omnes justi, nemine excluso, intrabunt in æterna gaudia, ita omnes injusti, nemine excluso, intrabunt in æterna supplicia, atqve adeo in æternum qvid patientur vi clarissimæ Scripturæ S. literæ *Jes. ult. v. ult. Dan. XII, 2. Matth. XXV, 34. 41. 46. Apoc. XX, 10. 12. 13. 14. 15.* non ergo animæ qvædam peribunt. (3.) Qvia contrarium nullo idoneo argumento probari potest; sed nituntur omnia meris figmentis, placitisqve Platonicis dudum explosis. Dicimus (VIII.) *Immortalitas actualis piis in peculio V. T. comprehensis non fuit incognita.* Prob. (1.) clarissimis Scripturæ V. T. dictis *Job. XIX, 25 sq. Ps. XVII, 15. Cohel. XII, 7. Gen. XXV, 8. c. XXXV, 29. c. XLIV. 32. Exod. III, 6.* collat. *cum Matth. XXII, 32. &c.* Prob. (2.) ex exemplo Saulis *1. Sam. XXVIII, 11.* Si autem Saul credidisset, Samuelem qvoad animam extinctum fuisse, non petiisset eum revocari, indicio immortalitatem animæ actualem in V. T. non plane fuisse incognitam. Dicimus (IX.) *Immortalitas hæc actualis ad minimum qvodammodo etiam ex lumine Naturæ constat.* Non hac vice disputabo: utrum *apodictice*, an *probabiliter* saltem? Qvod posterius ex Theologis nostris volunt *B. Calov. in System. Tom. 3. p. 1222.* conf. *& B. Scherzer. in Nucleo Philos. p. m. 385. sq. & B. Dn. D. Hect. Gottfr. Masium in dissertat. de immortalitate Animæ, qvatenus è Naturæ lumine constat, Hafniæ Ann. 1706.* recus. Contrarium vero alii volunt. Qvicqvid autem sit, nihilominus qvod diximus, qvodammodo qvid de immortalitate hac ex lumine naturæ constat, ut homo non præfracte & malitiose contradicens sufficienter convinci possit. Prob. (1.) ex argumentis, qvæ passim etiam ex lumine naturæ sunt depromta. (2.) Ex consensu saniorum ac moderatiorum gentilium, qvem itidem jam supra allegavimus. (3.) Qvia & ipse Apostolus contra gentiles disputans ad æternam qvandam damnationem provocat *Rom. I, 32. Cap. II,*

5. 8. 9. 12. 16. &c. Dicimus. (X.) *Adamo lapso immortalitas non penitus fuit amissa.* Prob. (1.) à comminatione mortis. Perqvam non saltem intelligitur mors temporalis, ut adversarii volunt, levissima enim hæc saltem fuisset pœna in crimen læsæ Majestatis infinitæ posita. Deinde & ipse Paulus *Rom. V, 12. 18. 19.* satis docet, ut per vitam, qvam Christus reparavit, non potissimum vita temporalis; sed æterna intelligitur; ita vi oppositionis per mortem Adami lapsu introductam non temporalem potissimum; sed & æternam intelligendam esse. Lapso ergo Adamo immortalitas ut sic non penitus fuit amissa. (2.) Qvia si lapso Adamo immortalitas penitus amissa, seqveretur, neminem resurrecturum fuisse, nisi Christus venisset, non lapsum Adami; sed repudium Christi unicam causam esse æternæ damnationis, adeoqve lapsu Adami dari adhuc peccatum aliqvod gravius. Qvæ omnia absurda. Dicimus (XI.) *Nudus Baptismus aqvæ nullam corpori dat immortalitatem.* Prob. (1.) qvia Baptismus sine Verbo & Spiritu non est Baptismus: sed nuda aqva, nullamqve adeo efficaciam habet. Qvare & audit lavacrum aqvæ per verbum *Eph. V, 26.* (2.) Qvia saltem unus est Baptismus *Eph. IV, 5.* non ergo duplex, alter aqvæ, alter Spiritus. (3.) Qvia resuscitatio corporum tandem aliqvando cum animabus suis uniendorum utiqve & Spiritui accepta refertur. vid. *Ezech. XXXVII, 14. Rom. VII, 11.* Dicimus (XII.) *Nulli mortui unqvam vel à Christo, vel ab Apostolis sunt baptizati.* Prob. (1.) qvia Christus plane neminem ipse baptizavit *Joh. IV. 2.* Ergo nec mortuos baptizare potuit; sed nec per alios id fecit, qvia (2.) baptismus non pro mortuis, sed pro viventibus est institutus *Matth. XXVIII, 19.* (3.) Qvia post mortem statim incipit judicium *Hebr. IX, 27.* ut adeo tum media regni gratiæ non amplius locum habeant. (4.) Qvia contrarium nullo idoneo argumento vel exemplo probari potest. Ablutos esse mortuos concedimus; sed Baptismate Christi eos baptizatos esse vel à Christo, vel ab Apostolis nullibi legimus. Qvæ à *Dodwello* afferuntur, dubiis & incertis nituntur traditionibus. Dicimus (XIII.) *Non solis Episcopis competit potestas administrandi baptismum, sicqve nec jus Spiritum vivificantem conferendi.* Prob. (1.) qvia nullibi hoc privilegium solis Episcopis datum legitur. (2.) Qvia non soli Apostoli; sed & reliqvi Christi discipuli baptizarunt *Joh. III, 22. c. IV, 1. 2.* (3.) Qvia

(4.) Qvia Episcopi in primitiva Ecclesia nullam præ reliqvis verbi divini ministris prærogativam habuerunt. Clarissimus est locus *Act. XX, 17. 28.* ubi qvi antea presbyteri vocabantur, mox & Episcopi audiunt. conf. & *1. Petr. V, 2. 3.* (4.) Qvia Paulus non saltem suo, sed & Sosthenis nomine *1. Cor. IV, 1.* dicit: *Sic de nobis reputet homo ut de ministris Christi, & DISPENSATORIBUS MYSTERIORUM DEI.* Singulis ergo Ministris competet qvoqve potestas administrandi Baptismum. Deniqve & dicimus adhuc (XIV.) *Animæ non ita moriuntur cum corporibus, ut cum corporibus demum resuscitentur.* Prob. (1.) qvia animæ penitus mori neqveunt per jam hactenus asserta (2.) ex exemplo animæ Lazari, qvæ non moriebatur; sed ab Angelis in sinum Abrahæ deportabatur *Luc. XVI, 22.* (3.) Ex exemplo Latronis, cui eo ipso die, qvo moriebatur, promittebatur paradisus, utqve ibi esset cum Christo *Luc. XXIII, 43.* non ergo mori potuit anima (4.) ex *Apoc. XIV, 13.* Qvibus & adde reliqva argumenta, qvibus contra *Psychopannichitas* & *Socinianos*, qvibuscum *Hobbesius* ac *Cowardus* penitus conveniunt, Theologi nostri in Systematibus qvibusvis uti solent. Vel prima saltem hæc sunt Controversiæ hujus prolixæ alias lineamenta, qvantum nimirum instituti nostri ratio permittere voluit. Qvæ alia occasione prolixius deduci poterunt. Pariter & nunc eadem brevitate potiora argumenta contraria adhuc percurrere placet.

§. III. *Hobbesius Objicit (I.)* Immortalitatem primi hominis pependisse ab arbore vitæ; post lapsum autem eum ex paradiso esse ejectum, ne manum ad arborem vitæ extenderet, mortalem ergo post lapsum esse animam. *Resp.* Arborem vitæ pro immortalitate animæ fuisse dicitur, non autem probatur. Arbor vitæ potius non tam pro anima, qvam pro corpore fuit. Anima enim ut Spiritus immaterialis *Gen. II, 7.* nullo istiusmodi cibo indigebat. *Objic. (II.) Job. XIV, 7. 8. 9. 10.* ibi conqveri Jobum: *Homo cum mortuus fuerit, ubi qvæso est? Resp. Jobus*, qvemadmodum ad oculum est, loqvitur de morte, statuqve corporis miserrimi post mortem, à cujus vero mortalitate ad mortalitatem animæ N. V. C. *Objic. (III.) Cohel. III, 18. 19. 20. Resp.* Est hic objectio qvædam, qvam sibi Ecclesiastes facit, ex qva vero objectione non potest formari thesis qvædam vera; Imprimis cum ipse Salomo contrarium testetur *cap. XII, 7.* Sic & in eodem hoc *cap. III,* subseqvente

verſ. 21. ita ad formatam qvæſtionem reſpondet, ut immortalitas animæ omnino ſalva maneat, imprimis ſi ה non pro *interrogandi particula*; ſed *emphatice ſpecificante articulo* habeamus cum *B. Dn. D. Auguſto Varenio* incomparabili qvondam Academiæ hujus Theologo ac Exegeta in *Gemmis Salomon. p. m. 17. ſqq. Objic. (IV.) Cohel. IX, 5.* ubi mortui dicuntur nihil noſſe. *Reſp.* Sermo eſt de iis; qvæ in hac vita fiunt, qvorum ignaros eſſe mortuos dicit Salomo, deqve recreatione in cibo & potu, commmercioqve cum reliqvis viventibus *vid. v. 6. 7.* Qvomodo autem exinde mortalitas animæ ſeqvitur? *Objic. (V.)* Animam in Scripturæ S. nihil aliud ſignificare præter ipſum *animal*, aut *vitam* ejus, adeoqve mortalem eſſe. *Reſp.* Falſum hoc eſſe conſtat ex *Pſ. XLIX, 19. Animæ ſuæ in vita ſua benedicit.* Et *2. Sam. XI, 11. per vitam tuam, & vitam animæ tuæ.* Qvibus in locis hominis vita ab ejus anima apertiſſime diſtinguitur. item Matth. X, 28. *Corpus poſſunt occidere non animam.* Ubi ſi anima ſignificaret ipſum animal aut vitam ejus, tum ſenſus hic abſurdus inde emergeret: *corpus poſſunt occidere, non ipſum animal, aut vitam* ejus. Ut infinita loca alia taceamus.

§. IV. *Cowardus Hobbeſianus* præterea adhuc *Objicit (I.)* Nullam aliam eſſe ſubſtantiam niſi materiam, & ex materia conſtantem. *Reſp.* (1.) Dicitur hoc, non vero probatur. (2.) Eſt contra rationem & Scripturam, qvæ utraqve agnoſcit DEum, ut ens per ſe ſubſiſtens, adeoqve ut ſubſtantiam, eamqve non materialem, & ex materia conſtantem, ſed ut immaterialem, & ab omni materia abſtractam. Datur ergo ſubſtantia qvædam qvæ non eſt materia. (3.) Hanc ergo ſubſtantiam nunc aliam adhuc ſubſtantiam immaterialem â ſe dependentem creaſſe non implicat, imo & animam noſtram talem eſſe ex argumentis ſupra jam adductis ſatis eluceſcit. *Objic. (II.)* Spiritum nihil aliud eſſe, qvam virtutem aliqvam, vel potentiam, & ſic animam nihil aliud eſſe, qvam virtutem aliqvam in corpore. *Reſp.* (1.) Dicuntur rurſus omnia, nihil vero probatur. (2.) Spiritum omnem potentiam eſſe, falſiſſimum eſt. Nam & DEum Spiritum eſſe ſatis conſtat ex *Joh. IV, 25.* qvi tamen non potentia qvædam eſt; ſed puriſſimus actus. (3.) Virtus & potentia ex mente *Cowardi* ſunt ſaltem accidentia, qvæ ſine ſubjecto eſſe neqveunt. Jam vero ſi anima virtus,

non

non aliud ejus erit ſubjectum qvam corpus, ſicqve anima dependebit à corpore. Qvod tamen abſurdiſſimum, cum corpus potius, licet non ut accidens, dependeat ab anima, & ab ea informetur, abſente enim anima, vel ſaltem deliqvium patiente, nihil poteſt corpus, indicio, animam non eſſe virtutem qvandam accidentalem; ſed potius maxime ſubſtantialem. *Objic.* (*III.*) Subjectum cogitationis neceſſario eſſe materiam, qvod cogitatio proprietates materiæ eſſentiales habeat, ſucceſſionem nempe loci ac temporis, cum uno actu plura ſimul cogitare non liceat, ſicqve cogitationem continuam eſſe idearum in cerebro circulationem, animamqve cogitantem materialem ac mortalem. *Reſp.* (1.) Nihil aliud hoc ratiocinio evincitur, qvam animam noſtram non eſſe Spiritum adeo perfectiſſimum, ut ipſe DEus eſt. Sine omni ſucceſſu loci & temporis cogitare ac agere & Omniſcientiam infert & omnipræſentiam. Hæc ſolius DEI ſunt. Ecqvis autem ſanæ mentis talia à creatura qvadam poteſt exigere? (2.) De immaterialitate cogitationum non judicandum ex ſucceſſione loci & temporis, nec ex objecto; ſed ex cogitatione ipſa. Hanc autem in ſe non materialem eſſe ſatis patet ex eo, qvia & ipſe DEus cogitat. *Objic.* (*IV.*) à ſenſibus pendere ultimo omnes cogitationes nec hominem ullam rei ſenſibus nunqvam perceptæ ideam ſibi formare poſſe, niſi rerum perceptarum compoſitione utatur. *Reſp.* Nihil qvidem eſt in intellectu, niſi prius fuerit in ſenſu: at vero cum nihilominus ſpecies intelligibiles formentur beneficio abſtractionis, indicio id eſt, ipſum intellectum non eſſe materialem: ſed potius immaterialem. Deinde & ab objecto rei male judicatur de re ipſa, imprimis cum anima & ſine iſtiusmodi objectis ſenſu perceptis cogitet & operetur, etiam in ſomno, modo diſtinguas inter actus animæ directos ac reflexos. *Objic.* (*V.*) Mortuos juxta Scripturam non cogitare de DEO, animam ergo eſſe mortuam. *Reſp.* qvando mortui dicuntur non cogitare de DEO, id non abſolute intelligendum: ſed ſecundum qvid, non ita cogitant de DEO, qvemadmodum in hac vita, ubi anima adhuc cum corpore fuit unita. Hunc harum locutionum ſenſum eſſe, ſatis videre eſt ex *Jeſ. XXXVIII, 11.* Alias animas ſeparatas ſupereſſe, & qvam maxime de DEO cogitare ſatis conſtat ex exemplis latronis, qvi poſt mortem debebat eſſe cum Chriſto *Luc. XXIII, 43.* Pauli, qvi poſt mortem cupiebat eſſe cum Chriſto *Phil. I, 23.*

I, 23. Lazari qvi post mortem solamina habebat *Luc. XVI, 25.* adde alia argumenta nostra jam in thesi adducta. Reliqva *Cowardi* saltem sunt novæ qvædam subtilitates Philosophicæ in meris petitionibus principii consistentes.

§. V. *Dodwellus Objicit (I.)* Epulonem in inferno sensisse tormenta, adeoqve animam corruptibilem esse ac materialem vid. *Epist. disc. p. 101. Resp.* Hypothesis hæc est falsa, omne sentiens materiale esse. Distinguendum enim est inter τὸ *materiale* seu *corporeum in se*, vel ratione *entitatis* suæ ita dictum, & inter illud, qvod *ob aliud* ita vocatur. Potentia sensitiva dicitur *materialis* & *corporea* non in se ratione sui & qvoad actum primum, sed qvoad actum secundum, & ratione corporis qvo exercetur. *Radicaliter* ergo est in anima & non materialis, *operative* vero & propter *denominationem extrinsecam* ab actibus seu operationibus, qvæ mediantibus corporeis & materialibus organis fiunt, corporea & materialis vocatur. Deinde & anima epulonis perpessa est cruciatus infernales non per *sensationem organicam*; sed per *perceptionem animæ convenientem*, etiam sine organis. *Objic. (II.)* Solum DEum natura sua immortalem esse *1. Tim. IV, 16.* vid. *l. c. Resp.* Solus DEus dicitur natura sua bonus *Matth. XIX, 17.* & nihilominus tamen & creatura qvoqve entitative dicitur bona *Gen. I, 4. 10. 31.* & qvidem natura sua, qvia bona creata. Sic & Deus *immortalis* potest dici, & anima qvoqve. Distingv. autem inter *immortalitatem absolutam* & *secundum qvid.* Illa solius DEI est, hæc qvoqve creaturæ, item distingv. inter τὸ *à natura independenter* & *dependenter.* Non *illo* modo, sed *hoc* animam natura sua immortalem esse docemus, & eo ipso gratiam creationis non excludimus, de qva tamen jam non qværitur; sed de gratia sanctificationis. *Objic. (III.)* Mortem esse stipendium peccati *Rom. VI, 23.* collat. cum *Sap. II, 23. 24.* ibid. *p. 80. Resp.* Mors hoc loco potissimum intelligitur æterna, qvippe vitæ æternæ opponitur. Hæc alias etiam audit mors secunda *Apoc. XX, 6.* Hanc vero etiam in substantiam immaterialem cadere posse patet ex exemplo Diaboli *Apoc. XX, 10.* collat. cum *v. 14.* Et si qvoqve simul intelligatur mors temporalis, nihilominus tamen omnia bene sese habent, non enim de animæ mortalitate hæc explicanda erunt, qvoniam alias seqveretur, & baptizatorum animas mortales esse, cum & baptizati

baprizati moriantur qvam mortalitatem autem *Dodwellus* negat. *Objic. (IV.)* Locus ex *2. Tim. I, 10. ibid. p. 104. Resp.* Sermo hic est de immortalitate *gloriosa*, illam unice esse a morte Christi & gratia stricte sic dicta, lubenter concedimus, estqve non saltem respectu animæ; sed & respectu corporis *Phil. III, 21.* A qva vero immortalitate ad *immortalitatem ut sic*, & speciatim animæ N. V. C. qvia hæc & in damnatis reperitur, qvi tamen immortalitate illa glorioſa neqvaqvam gaudent. *Objic. (V.)* Mortem regnasse ab Adamo ad Mosen. *Rom. V. 14. Resp.* Si etiam mors *corporalis* tantum intelligeretur, non tamen animæ sed homines dicuntur mortui. Ex qvo autem non seqvitur, animam natura sua esse mortalem. Sicqve petitur principium. At vero non sola *mors corporalis* hic intelligitur; sed & *mors æterna*, omniaqve mala, qvæ nomine *mortis* alias comprehenduntur. Secus namqve mors etiam dominata fuisset in eos, qvi fuerunt intra peculium. Nam & hos mortuos esse constat. Si vero nunc mors æterna, qvæ sine fine est, hic locum habuit, animæ mori seu interire non potuerunt. Sicqve frustra ex hoc loco probatur animarum mortalitas. *Objic. (VI.)* auctoritas Patrum, speciatim *Justini in Dialog. cum Tryph. Resp.* (1.) Non eqvidem negandum, nonnunqvam præter substantiæ soliditatem aliqvid materiæ proprie sic dictæ adscripsisse animæ humanæ veteris Ecclesiæ Doctores. Qvod peregregie probat incomparabilis ille hujus Seculi nostri Theologus Antiqvitatisqve Scrutator *Magnif. Dn. D. Joh. Fechtius, in Christo Pater noster nunqvam sine insigni nominis veneratione à nobis citandus, in Schediasmat. Sacr. Exerc. 1. n. 71. p. m. 140. sqq.* At vero & hoc sciat *Dodwellus*, deliqvia Patrum nobis non posse obtrudi pro mysteriis. (2.) Qvod speciatim *Justinum* concernit, eum ex hypothesi sua explicat Dodwellus, sed in multis nimis perverse, de naturali mortalitate accipiendo, qvod de negata animæ existentia necessaria soli DEO propria dixit, vid. *Sam. Clarcke a letter to Monsr. Dodwell. p. m. 34. sqq.* conf. & reliqvos auctores jam supra contra *Dodwellum* citatos. *Objic. (VII.)* Judæos & imprimis Sadducæos immortalitatem animæ negasse, adeoqve doctrinam hanc antiqvissimam esse. vid. *Epistolar. discurs. p. m. 108. Resp.* Judæorum & imprimis Sadducæorum doctrinam de Spiritibus, conseqventer & de anima, minus sobriam fuisse, satis constat ex ipso Spiritus S. testimonio *Act. XXIII*, 8. conf. & *Matth. XXII, 23. sqq.*

Qv. III.

NUM PRÆEXTITERINT ANIMÆ ANTE SUA CORPORA?

§. I.

Christophorus Sandius Neo-Arianus edidit tractatum de *origine animæ Cosmopoli* (i. e. *Amstelodami* vid. *Bibliothec. Antitrinit. p. m. 169.*) *Anno 1671.* In qvo probare conatur, qvod *Antiqvissimi qviqve cum Pythagora omnibusqve Platonicis & Origine, animas ante corpora in principio singulas simul conditas in statu feliciori qvam in corpore esse statuerint.* Qvam eandem qvoqve sententiam ipse *Sandius* propugnare allaborat. vid. *p. 5.* Eadem qvoqve sententia est *Henrici Mori l. 1. Myster. pietat. c. 8.* ubi *Origenis* sententiam prolixe commendat, nempe præexistentiam animarum ante corpora, qvod ab initio mundi cum ipsis Angelis creata, successive mittantur in corpora sibi præparata. Idem & *Anonymus* qvidam defendere ausus est in scripto sub titulo: *Dissertatio singularis de existentia animarum anteqvam in aspectabili hujus vitæ theatro compareant, jam primum è tenebris eruta & Doctorum Virorum expositа judicio Ann. 1672.* cujus, ut & *Sandii* hypotheses refutat *B. Dn. D. Balthas. Bebel. in exercitat. Theol. adversus præexistentiam animarum humanarum Argentorat. Ann. 1675.* edit. Contra hanc sententiam qvoqve vide *B. Dn. D. Schomer. in Colleg. Novissim. Controvers. c. 5. §. 7.* & B. *Dn. M. Jac. Thomasium in Oratione oppositа illorum errori qvi asserunt præexistentiam animarum.* Contra veteres hic etiam vide *Heidegger. in Corp. Theol. Christ. Loc. 6. n. 114. Tom. 1. p. 234.*

§. II. Prænotamus nos (1.) non esse sermonem de *præexistentia animarum intentionali*; sed *reali* (2.) non esse sermonem de *potentia* animæ ex parentibus, vel majoribus oriundæ & traducendæ, qvam lubenter concedimus; sed de *existentia* qva ens à causis suis liberum est, & seorsim per se existit, sicut existit anima corpore suo per mortem soluta, aut Angelus aliqvis existit, (3.) sermonem esse de anima non saltem *seorsim*; sed & in *materia præexistente.* Sic namqve *dissertatio* illa *Anonymi* duplex facit animæ subjectum *prius* & *posterius*, *Prius* vocat materiam, cum qva unita illa fuit à primo momento

momento creationis. Et *p. 4.* vocat *materiale animæ vehiculum. Posterius* vocat *materiam viliorem*, unde sibi animæ confecerint vehicula nova, qvalia sunt corpora hæc terrena, qvibus immittantur, veluti sepulchris & carceribus. Qvibus prænotatis dicimus (I.) *Animæ seorsim non præextiterunt ante præsentia sua corpora.* Prob. (1.) à silentio Scripturæ S. ultra qvam plane nihil hic sapere licet. Illa autem de præexistentia hac penitus tacet. (2.) Qvia *Gen. II, 7.* die sexto hexaëmeri anima Adami dicitur creata & inspirata post corpus jam è terra formatum. Non ergo præextitit anima. Nec valet *exceptio*, qvod nihilominus anima præexistere potuerit. Nam hic de *creatione* est sermo. *Creatio* autem non est ex re præexistente; sed *ex nihilo*, eoqve qvidem hoc loco *mere negativo*, qvia de ente immateriali sermo est, non diffitentibus ipsis Adversariis. (3.) Qvia primus homo creatus dicitur ad imaginem DEI *Gen. I, 27.* Jam vero imaginis divinæ πρῶτον δεκτικὸν est *anima*. Qvemadmodum ergo nunc non præextitit imago DEI, ita nec anima. (4) Qvia ex benedictione divina *Gen. I, 28.* & homo speciem suam multiplicare debebat, æqve ut alia creata, eamqve qvidem integram. E & qvoad animam, qvæ adeo hac ratione præexistere non potuit. Et si homo suam speciem non qvoad integram speciem propagaret, deterior foret reliqvis creaturis. Qvod absurdum. (5.) Qvia animæ dicuntur egredi è femoribus parentum *Gen. XLVI, 2.* Ergo non ante præextiterunt. (6.) Qvia & à parentibus est peccatum originale *Psl. LI, 7. Joh. III, 6. Rom. V, 12.* Peccati vero πρῶτον δεκτικὸν rursus est anima. Non ergo anima præextitit. (7.) Ex *Rom. IX, 11.* Ubi Esau & Jacob ante nativitatem suam nihil vel boni vel mali feciſſe dicuntur. Non ergo animæ eorum præextiterunt. Qvæ argumenta omnia adeo fortissima sunt, ut qvicqvid etiam *Adversarii* excipiant, vel excipere possint, in fumum abeat. Dicimus (II.) *Nec unqvam præextiterunt animæ cum materia qvadam unitæ.* Prob. (1.) qvia & de hoc figmento tacet Scriptura S. (2.) Contrarium constat ex creatione hominis *Gen. II*, ubi anima inspirata dicitur ut Spiritus, non ergo corpore fuit unita (3.) qvia sic tres forent hominis partes essentiales, anima, corpus illud in qvo anima præextitit, & corpus illud vilius. Qvod est contra omnia illa Scripturæ loca, in qvibus duarum saltem partium, uniusqve corporis fit mentio vid. *Cohel. XII, 7. Matth. X, 28.*

§. III. Contra *theſin primam Objic.* (*I.*) Statum animæ naturalem ac optimum, eſſe extra corpus. Ergo & ſic animam creatam eſſe ante corpus, qvia DEus qvod creavit, valde bonum fuit. Statum autem animæ extra corpus feliciſſimum eſſe probatur ex *1. Cor. XIII*, 22. *2. Cor. V*, 7. intra corpus autem infeliciſſimum eſſe probatur ex *Rom. VIII*, 19. *ſqq. Pſ. CXLII*, 8. *1. Petr. III*, 19. *&c. Reſp.* (*1.*) Non omnis ſtatus animæ optimus ſtatus qvoqve eſt creationis, cum alias ſeqveretur, animam & in ſtatu gloriæ creari debuiſſe. Qvod tamen abſurdum. Qvo accedit; qvod & natura non raro progrediatur, ab imperfectioribus ad perfectiora, adeoqve non ſemper incipiat à ſtatu perfectionis; ſed ſæpe in eo deſinat. (2.) Statum animæ extra corpus naturalem eſſe negamus. Primitus enim creata eſt, ut eſſet pars hominis eſſentialis, qvæ extra unionem non eſt in ſtatu naturali. Contrarium à Sandio probari neqvit; ſed meris petitionibus principii utitur (3) ſtatum animæ extra corpus optimum eſſe nunc qvidem in ſtatu deſtitutionis & lapſus concedimus. Qvod etiam allegata dicta volunt; at vero à ſtatu lapſus, ad ſtatum integrum N. V. C. *Objic.* (*II.*) Animam delapſam eſſe è cœlo, & in hoc mundo peregrinari; Patriam vero eſſe cœlum, unde venit. *Pſ. CXX*, 5. *Joh. I*, 9. *Hebr. III*, 13 *ſqq. c. XIII*, 14. *&c.* præextitiſſe ergo animas. *Reſp.* (1.) Animas ceu præexiſtentes dilapſas eſſe è cœlo, nullibi in Scriptura dicitur. Homines veniſſe in mundum legimus, ſed hi non ſunt ſolæ animæ. Hi autem veniunt in mundum, egreſſi ex utero materno, non qvoad animam præexiſtentes, qvod nullibi dicitur. (2.) Peregrinamur in hoc mundo. Sicqve cœlum patria noſtra eſt; aſt non naturalis & ratione generationis, alias enim & impiorum patria foret, ut qvorum animæ itidem juxta Sandium præextiterunt; ſed ratione regenerationis ac ſupernaturalis: item patria noſtra dicitur non ratione præexiſtentiæ animæ; ſed ratione acqviſitionis per Chriſtum factæ, noſtræqve participationis per fidem. Ad qvam præexiſtentia non reqviritur. Paulus Tarſi erat natus, & tamen Civis Romanus, ſicqve Romæ non præexiſtens. *Objic.* (*III.*) inæqvalem eſſe ſortem animarum in corporibus degentium, eam eſſe ex inæqvalitate meritorum ab animabus geſtorum, prius qvam corporibus inſererentur. *Reſp.* (1.) Et corporum inæqvalis ſors eſt. Ergone & illa ptæextitêre anteqvam in utero materno concepta?

concepta? (2.) Eidem consequentiæ, nempe qvod inæqvalitas sortis inferat præexistentiam animarum contradicit aperte Christus *Joh. IX*, 2. & Paulus *Rom. IX*, 11. *Objic. (IV.)* Adscribi homini peccatum ante nativitatem & conceptionem *Psal. LI*, 6. *Ps. LVIII*, 3. *Psalm CXIX*, 67. *Joh. IX*, 2. *&c. Resp.* (1.) Humanum genus peccasse qvidem ante singularum personarum nativitatem verum est; sed non peccarunt personaliter, verum seminaliter, & ita præextiterunt qvoqve nonnisi seminaliter (2.) dicta adducta plane nihil probant *Ps. LI*, David non dicit ante formationem animam suam peccasse; sed in peccato se esse conceptum à matre, cum ergo in utero materno cœpit peccatum, etiam subjectum peccati, anima cœpit, sicqve non præextitit. *Ps. LVIII.* impii dicuntur abalienati *à vulva*, non *ante vulvam*, seu conceptionem. *Ps. CXIX.* David errasse se dicit ante sui humiliationem. Qvid vero hoc ad peccatum ante nativitatem! nisi velis, humiliari idem esse, ac nasci, qvod absurdum. *Joh. IX*, ipse Christus innuit qvæstionem fuisse absonam, negando utrumqve qvæstionis membrum, & tertium addendo. *Objic. (V.)* Aut ignorantia, aut scientia fuit prior in anima. Non ignorantia, qvia illa est privatio scientiæ: privatio autem præsupponit habitum. Prior ergo fuit scientia, qvæ in anima ante corpus ponenda est, qvoniam in corpore nascimur ignorantes. *Resp.* Pari modo arguo: Aut lepra aut vigor in posteris Gehasi fuit prior. Non lepra, qvia illa est privatio vigoris, prior ergo fuit vigor, qvi in posteris ponendus est ante lepram. At hoc reclamat S. Scripturæ, qvæ dicit, posteros Gehasi lepra fuisse infectos. Distinguendum ergo inter habitum individuorum & speciei, scientia utiqve fuit prior ignorantia; sed in Protoplastis ad imaginem DEI conditis. *Objic. (VI.) Jeremiam c. I*, 5. Jam ante conceptionem nativitatemqve suam DEO fuisse cognitum, & auctorem libri *Sap. c. VIII*, 18. dicere, postqvam bonus fuerit, se in corpus venisse. Præextitisse ergo animas. *Resp.* ad (1.) nos qvi in Christo electi sumus jam DEO ab æterno cogniti fuimus *Eph. I*, 4. ergone ab æterno præextitimus? Distinguas ergo inter præexistentiam *intentionalem* seu *objectivam* in præscientia DEI: & *realem actualem*. Ad (2.) Ex libro Apocrypho pro auctoritate nihil probatur. Deinde & auctor hic loqvitur de bonitate animæ, qvam habuit, cum puer

esset, adeoqve non anteqvam nasceretur, & de tota persona sua loqvitur: *nactus sum animam*, non enim dici potest: anima nacta est animam. Contra *secundam thesin* inter alia *Objic.* (*I.*) singulorum hominum materiam extitisse à condito mundo. E. & animam, nobiliori enim substantiæ nobiliorem competere durationem. *Resp.* (1.) Exceptis Angelis homo nobilissima est creatura; & tamen in hexaëmero prius DEus creavit reliqvas creaturas omnes. (2.) Singulorum hominum materia prima qvidem extitit à condito mundo, non autem secunda. *Objic.* (*II.*) Opinione hâc omnium optime explicari posse doctrinam de peccato Orig. sicqve qvemlibet statui peccati sui auctorem, cum contra opinio de peccato Adamitico DEum injustitiæ arguat. *Resp.* Contra Scripturam nullæ conciliationes dogmatum sunt fingendæ. Nos omnes in Adamo peccasse satis ipse testatur Spiritus S. *Rom. V, 12.* Neqve justitia DEI hic periclitatur, cum Adamus hic steterit & ut caput fœderale & seminale totius generis humani. Reliqva, qvæ tanti ponderis non sunt, brevitatis ergo jam tacemus.

CAP. V.

De IMAGINE DEI.

Qv. I.

NUM HOMO INTEGER IDEM SIT, AC INNOCENS?

§. I.

Sic vult *Bryanus Turner Rector de Soldern* in tr. de *primi peccati introitu in mundum*, *s. de lapsu Angelor. & Hom. tentam.* Ubi innocentiam hanc ita explicat; cui nihil pravi, aut in pejus proni inhæserit, imo qvi potius in meliorem partem inclinatum se senserit, ita tamen ut errori minus recte facultatibus utens obnoxius extiterit. Et hanc perfectionem mere negativam esse concedi sibi postulat, adeo ut plurimum qvidem homo potuerit, nec ad ulteriorem perfectio-

perfectionis metam contendere ipsi difficile fuerit; sed tamen adhuc in carceribus steterit. Justitiam enim originalem in Sanctitatis habitu etiam ponere scholarum esse insomnium, scientiam & sapientiam è facultatum exercitio in homine integro oriri debuisse.

§. II. Prænotamus nos (1.) non qværi in genere: an status integritatis, & *innocentiæ* vocari possit? sed num in *sensu Turneriano* mereqve *negative* sic dici possit? (2.) Non esse sermonem de *potentia* qvadam in homine primo *remota*, qvæ tamen & probe cum Theologis Nostratibus explicanda est; sed de *proxima*. Qvibus prænotatis dicimus: *Homo integer non ita innocens fuit ut negative saltem ejus perfectio describenda sit, & ut erroribus qvoqve fuerit obnoxius inqve carceribus steterit.* Prob. (1.) Qvia Scriptura S. nullibi statum integritatis ita describit; sed potius ex locis Biblicis plane contrarium constat. (2.) Qvia Scriptura statum integritatis non tantum negative: sed omnino etiam *positive* describit per sapientiam, scientiam, justitiam & sanctitatem, vide clarissima loca *Coloss. III, 10. Eph. IV, 24.* Hæc non *mere negativa*; sed *positiva* qvoqve esse nemo diffitebitur. (3.) Qvia homo integer ad imaginem DEI fuit conditus, cujus prototypon fuit DEus, adeoqve non mera qvædam negatio hic poterit locum habere, nec error nec carcer, qvæ cum istiusmodi imagine stare nequeunt. (4.) Qvia primus homo perfecta qvadam scientia, libertate ac sanctitate fuit præditus, conditus enim fuit rectus *Cohel. VII, 30.* valdeqve bonus *Gen. I, 31.* Non ergo facultatum abusus, error & carcer locum habere possunt (5.) qvia alias DEus foret causa peccati. (6.) Qvia totus hic Turnerianus discursus nititur figmento illo de statu purorum naturalium novis saltem qvibusdam coloribus renovato, qvoad rem vero dudum jam explosо.

§. III. *Objic.* (*I.*) Justitiam originalem & in Sanctitate ponere esse insomnium Scholarum. *Resp.* licet Superadditio Sanctitatis ceu doni supernaturalis sit insomnium scholarum; non tamen & id est insomnium, qvod homo integer & positive habuerit Sanctitatem. Qvicqvid enim ipsa Scriptura asserit, id non est insomnium Scholarum. At vero & positive in sanctitate imaginem Dei constitisse, jam in præced. §. ex Scriptura S. probavimus. *Obiic.* (*II.*) Licet homo impressas seminales aliqvas ideas habuerit, radiosqve intellectus lucidiores, illos tamen

tamen integumentis corporis non parum obscuratos fuisse. *Resp.* Confunditur hic status integritatis cum statu corrupto, & ex hoc male judicatur de illo. In statu enim integritatis eas molestias anima à corpore humano impassibili creato non habitura fuisset, qvales nunc habet, ubi peccato pariter & corpus corruptum, qvalis corruptio autem in homine integro non habuit locum.

Qv. II.

NUM IMAGO DEI SIT IPSA ANIMÆ ESSENTIA?

§. I.

Sic docet *Joh. Baptista van Helmont in tr. de imag. DEI Venet. Ann. 1651.* edit. Ubi inter alia ita qvoqve: *Credidi ipsam animæ spiritualem substantiam referre imaginem DEI, non autem in potestatibus. Nominatim hoc proxime. DEus est ens increatum, unum, incomprehensibile, æternum infinitum omnipotens, bonum supersubstantiale, lumen & Spiritus. Anima vero est creatura una, indivisa dependens, immortalis, simplex, & deinceps æterna substantia Spiritualis lucida. In DEO nulla sunt accidentia, sed singula attributa sunt ipsamet indistincta, divini Spiritus essentia simplicissima. Sic anima si DEI imaginem referat nullum in se admittet accidens: sed tota ejus substantia erit lumen simplex.* Mox addit: *Ergo imago DEI primaria est in ejus anima immortali, utpote cujus ipsamet essentia, & ipsamet DEI imago &c.* Refutavit *Helmontium* Admodum *Rev. Dn. D. Dav. Henr. Koepkenius* jam Collega Fautor ac Amicus noster longe æstumatiss. in *disp. sub* titulo: *J. B. Helmontii Philosophi per ignem in doctrina de Statu integrit. & corrupt. errantes ignes sub* Præsid. Magnif. *Dn. D. Jo. Andreæ Schmidt Helmst. ad. Ann. 1696.* hab. *p. 18. sqq.*

§. II. Præsupponimus nos (1.) sermonem esse de imagine DEI non *materialiter*, seu *subjective*, & concretive tali; sed *formaliter objective* ac *abstrative* tali (2.) sermonem esse de imagine DEI non *figurata*, & in specie *metonymice* tali; sed propria. (3.) Sermonem esse de imagine DEI non *abusive* & *inadæqvate*; sed *accurate*, & ada-

& *adæquate* tali. (4.) Sermonem esse de imagine DEI non *denominative*; sed *inhæsive* tali. (5.) Sermonem esse de essentia animæ non *qualitative*, sed *substantialiter* tali. (6.) Sermonem esse de imagine DEI non in sensu *Ecclesiastico*; sed *Biblico*. Qvibus præsuppositis dicimus: *Imago DEI non fuit ipsa animæ essentia.* Prob. (1.) qvia essentia animæ cum suis facultatibus fuit subjectum inhæsionis imaginis divinæ. Non ergo formaliter in ipsa animæ essentia consistere potuit. Qvia subjectum inhæsionis est tantum materiale, non formale accidentium, ut inductio exemplorum probat. (2.) Qvia essentia animæ post lapsum mansit integra. Non ergo in illa consistere potuit imago DEI. Essentiam autem animæ mansisse integram, patet ex experientia, nempe qvod homo etiam post lapsum manserit rationalis & constet intellectu ac voluntate. (3.) Qvia Scriptura S. imaginem DEI describit per scientiam, sapientiam, Sanctitatem & Justitiam *Coloss. III, 10. Eph. IV, 24.* Hæ qvalitates autem non sunt ipsa anima, ut qvilibet fateri debet. (4.) Qvia si imago DEI fuisset ipsa animæ essentia, fuisset substantia qvædam, & ipsa hominis essentia. Hoc autem falsum esse contra *Flacium* in Systematibus passim evictum vide. (5.) Qvia ad imaginem DEI dicimur renovari *Col. III, 10.* ad essentiam vero animæ, qvam non amisimus, non renovamur, non igitur imago DEI est ipsa animæ essentia. Disp. IX.

§. III. *Objic.* (*I.*) Ut DEus est ens increatum, unum, incomprehensibile, æternum, infinitum, omnipotens, bonum, supersantiale, lumen & Spiritus, sic animam esse creaturam unam, indivisam, dependentem, immortalem, simplicem; & deinceps æternam substantiam Spiritualem, lucidam, atqve adeo esse ipsam DEI imaginem. *Resp.* Recensita passim non sunt ipsa anima. Alias enim seqveretur, *per essentiam* talem esse animam, cum tamen talis saltem sit per *participationem*, sicqve & absolute nihil esset in anima, qvod non sit ipsa anima. Qvod tamen nulli creaturæ; sed unice Creatori competit. (2.) Nec in recensitis constitit formaliter, ac principaliter imago DEI; sed potissimum principaliter constitit in scientia, Justitia &c. vide Systemata passim. Hæ qvalitates autem non sunt ipsa anima. *Objic.* (*II.*) In DEO nulla esse accidentia. E. nec imaginem DEI in homine accidentia posse respicere; sed debere esse ipsam animæ essentiam. *Resp.* (1.)

Si imaginem DEI in omnibus describere volumus ut ipsum DEum, Homo non tantum ad imaginem DEI; sed ipse DEus factus dicendus foret. Qvod absurdum, cum similitudo hæc non sit secundum *æqvalitatem omnimodam*, qvemadmodum omnia per se patent. (2.) Licet scientia Justitia & Sanctitas in DEo ceu Prototypo non sint accidentia, utiqve tamen in homine creato esse potuerunt accidentia, qvia homo creatus tale subjectum fuit, qvod accidentia sustinere potuit. Adeoqve modus inessendi non tollit ipsam imaginem DEI hac ratione, qvemadmodum & sic in imagine depicta lineamenta faciei per alium modum insunt, qvam in homine vivo ceu prototypo.

Qv. III.

NUM IMAGO DEI CONSISTAT IN DESIDERIO, INTELLIGENTIA, ACQVIESCENTIA, ET LIBERTATE?

§. I.

ESt hoc dogma *Petri Poireti* in *Oecon. l. 1. c. 20.* Ubi pro fundamento habet dudum explosam illam Platonico-Fanaticam sententiam de anima realissima parte essentiæ divinæ. Atqve hinc nunc docet, habere animam divinas facultates, nempe desiderium, intelligentiam, acqviescentiam & libertatem. In his divino lumine & amore penetratis & plenis seu possessis consistere imaginem divinam primævam, & esse hæc reqvisita essentialia solida, & inseparabilia, in qvibus solis imago DEI viva consistat, dicit. Contra plane novam absurdissimamqve hanc sententiam vide Magnif. *Dn. D. Jæger in Exam. Theol. Nov. Controv. 14. p. m. 179. sqq.*

§. II. Prænotamus nos (1.) loqvi nos hac vice non tam de anima ipsa, dudumqve explosa illa sententia Platonica, qvod sit *particula auræ & essentiæ divinæ*, qvam de imagine DEI, qvæ est in anima. (2.) Sermonem esse de imagine DEI non *prototypa*; sed *ectypa*. (3.) Sermonem esse de imagine DEI non *essentiali & increata*; sed *accidentali & creata*. (4.) Sermonem esse de imagine DEI non *inadæqvate*, & *effective*, sed *adæqvate* & *formaliter* tali. (5.) Non esse sermonem de iis, qvæ & ad imaginem DEI *qvodammodo referri* possunt, si recte

recte explicentur; sed de *essentialibus* ejusdem *requisitis*, & *formali* ejusdem *ratione*. (6.) Non qværi: an imago DEI generaliter consistat in conformitate qvadam hominis cum archetypo suo, DEO scl. qvod lubenter concedimus; sed qværi specialiter de reqvisitis illis à *Poireto* assertis. (7.) Non esse sermonem de nonnullis terminis præsertim *intelligentiæ* ac *libertatis* orthodoxe explicatis; sed in sensu *Poireti* sumtis. (8.) Non esse sermonem de imagine DEI in sensu *Ecclesiastico*, multo minus *Fanatico*; sed in sensu *Biblico* sumta. Qvibus prænotatis dicimus: *Imago DEI formaliter non consistit in his reqvisitis essentialibus: desiderio, intelligentia, acqviescentia, & libertate.* Prob. (1.) qvia Scriptura S. nullibi imaginem DEI formaliter ita describit. Ultra Scripturam vero sapere hic non oportet, qvia extra eam plane nihil nobis de imagine DEI constat. (2.) Qvia Scriptura S. Imaginem DEI formaliter aliter describit, nempe per conformitatem cum DEI scientia, Justitia, & sanctitate. vid. *Coloss. III, 10. Eph. IV, 24. Cohel. VII, 30.* (3.) Qvia qvædam ex reqvisitis illis Poireti ita sunt comparata, ut locum hic habere neqveant. Sic e. g. desiderium in se suaqve natura est indicium imperfectionis, tendit namqve in bonum, qvod nondum possidemus. Utpote qvem actum stricte ac proprie loqvendo DEO tribuere non possumus, atqve sic accurate loqvendo essentiale aliqvod reqvisitum imaginis DEI esse neqvit. (4.) Qvia & illos terminos, qvi adhuc bene explicari possent, pessime pervertit Poiret. Sic namqve per intelligentiam non intelligit cognitionem DEI, ejus scientiam; sed ipsum Filium DEI, uti per acqviescentiam ipsum Spiritum S. qva ratione autem homo erit DEus trinunus ipse, vid. *Poiret. l. 1. c. 1.* Conf. & convincentem *Poiretum* Dn. D. *Jæger l. c. p. 191. sq.* Qva ratione & homo ipsa essentialis fuit DEI imago. Absurda omnia, cum unice Filius DEI imago sit Patris sui cœlestis essentialis.

§. III. Non habet *Poiret*, qvibus plane absurdissimas suas hypotheses probet, nisi meras ineptias; qvas pro dictatoria qvadam auctoritate profert, imo plane blasphemas hypotheses. Qvales e. g. sunt, qvando docet, vacuitatem & desiderium, imo tenebras, & anxietates qvoqve in ipso Deo dari, nempe in Deo Patre, si solus spectetur, adeo ut si sine Filio & Spiritu S. concipiatur, fons sit atqve principium tenebrarum, confusionum anxietatum & dolorum infinitorum. Vide

Oecon. l. 1. c. 14. p. 195. Ex qvibus infert, animam cum è manibus Patris, Filii & Spiritus S. prodierit, imaginem Trinitatis qvoqve gessisse, atqve ita non posse non ita sese habere. Sed *Resp.* Blasphema hæcce vel recensuisse, jam est refutasse. Contrarium ipsa Scriptura S. ubivis testatur, qvæ DEum describit semper in luce & sufficientissimum, ac beatissimum *1. Tim. VI, 15. sq.* in qvo plane nullæ sunt tenebræ *1. Joh. I, 5.* &c. Conceptus illi Patris sine Filio & Spiritu S. & chimærici sunt, & blasphemi. Et imago DEI licet principium à qvo qvod concernit, totam agnoscat SS. Trinitatem, terminus tamen ad qvem non personalia; sed essentialia respicit, qvalia sunt scientia, Sanctitas & Justitia; prævia nimirum Scriptura S. Alia Scriptura S. hic non docet, adeoqve ultra illam sapere, summa erit temeritas.

Qv. IV.

AN IN STATU INTEGRITATIS JUS NAT. QVOQVE LOCUM HABUERIT?

§. I.

NEgavit in Belgio *JCtus* qvidam *Ultrajectinus G. V. M.* qvi dicitur esse *Guilielm. van der Möelen in dissert. de Orig. Juris Nat. Ann. 1684.* edit. in qva docuit, Jus Naturæ è statu integritatis totum ejiciendum esse, & locum saltem habere in statu corrupto, adeoqve concedere noluit, homines primævos Paradisi incolas in statu integritatis subjecta fuisse Juris naturalis: Huic Hypothesi opposuit Dn. *D. Simon Henr. Musæus Juris Nat. & Gent. in Acad. Kilon. Prof. Vindicias Juris Nat. Paradisei Plœnæ Ann. 1686.* editas. Contra qvas se defendit *Dn. G. V. M. in defensione dissert. de Orig. Jur. Nat.* Adversus qvam vero *Dn. D. Musæus* edidit *Responsionem ad G. V. M. defensionem Diss. de Orig. Jur. Nat. Ploen. Ann. 1689.* impress. Eandem hanc hypothesin etiam in Academia Lipsiensi refutavit B. *Dn. D. Val. Alberti in disp. de Jure Nat. Parad. Lipsiæ Ann. 1695.* hab. Qvæ & nunc inserta est novæ editioni Ejusdem *Compendii Juris Nat. part. 1. p. m. 171. sqq.* In *Præfatione* autem *novæ primæ* huic *parti* præmissa B. Dn. Auctor breviter respondet ad convitia *Dn. Guil. van der Moelen*, qvæ in *præfat. in H. Grotii libb. de Jure Belli & Pac.* in se evomuerat.

§. II.

§. II. Prænotamus nos (1.) sermonem esse de Jure naturali non *improprie* ac *abusive*; sed *proprie* sic dicto (2.) sermonem esse de statu integritatis non *male*; sed *recte* explicato. Atqve hinc dicimus: *In statu integritatis utique & Jus naturale locum habuit, hominesqve primævi ejusdem subjecta fuere.* Prob. (1.) qvia status integritatis homini vere fuit naturalis, in qvo nimirum natura hominis fuit recta, qvæ sola statum naturalem facit, sicut corrupta legalem, aut corruptum, prorsus sicuti morbi non secundum, sed præter aut contra naturam se ad hominem habere vulgo dicuntur. (2.) Qvia jus naturale est æterna & immutabilis DEI veritas *Rom. I, 25.* Ergo omnino qvoqve in Paradiso locum jam habuit. (3.) Qvia Jus naturale homini est concreatum, & inscriptum in cordibus hominum *Rom. II, 5.* Qvod in prima creatione jam factum. E. omnino in statu integritatis qvoqve habuit locum (4.) qvia Jus naturale hodie adhuc inter reliqvias & rudera imaginis divinæ solet referri. E. & ad imaginem hanc DEI omnino pertinet.

§. III. *Objic.* (1.) Hominem integrum sponte feciſſe justum & æqvum, adeoqve sine lege. *Resp.* Utiqve homini integro competit libertas; sed non ex cœco impetu instar infantis vel pueri, ut cum *Hugone Grotio*, & *Socinianis* Antagonista vult; sed secundum legem qvoqve concreatam. Et si de homine integro recte sentire volumus, talem libertatem ad agendum bonum ipsi tribuere debemus; qvæ cum aptitudine tamen, licet remota, ad faciendum malum fuit, qvem in modum tunc omnino homo nondum confirmatus in bono, æqve ut Angeli, se habuit, ut experientia eheu docuit. Atqve sic omnino jure hoc opus fuit. *Objic. (II.)* In statu integro nullam fuisse injuriam. E. & nullum fuisse jus, nullam legem. *Resp.* Ex jam dictis resolvi hæc possunt. Ubi nulla fuit injuria, *nec esse potuit.* Et sic neg. *minor.* Nam *actus* eheu insecutus testatur de potentia, de qvo modo jam dictum. Adeoqve opus erat lege, ne potentia ante confirmationem in bono deduceretur in actum, & deinde si etiam valeret *Major*, valeret saltem de *lege prohibitiva.* Ex qvo vero non seqvitur, nec *præceptivam legem* locum habuisse. *Objic. (III.)* Jus naturæ implicare imperfectionem, qvia nimirum prohibitionem mali continet, & in nobis statim excitat ideam imperfectionis, sive boni privationis.

Resp. Magna est distinctio inter mali prohibitionem, & mali ideam, qvæ imperfectionem aliqvam in animo concipientis inferat. Ipse DEus prohibet malum, nec tamen idea mali in Deo imperfectionem aliqvam arguit. Et cur lex de non comedendo ex arbore vetita locum habuit in Paradiso, qvæ itidem prohibebat malum? Qvemadmodum ergo lex hæc stare potuit sine imperfectione status integri, ita & stare potuit Jus naturale. Præterea & Jus naturale non constat ex solis prohibitivis mali; verum & ex præceptivis boni.

Qv. V.

NUM DEUS CUM HOMINE PRIMO PEPIGERIT FOEDUS QVODDAM?

§. I.

IN Belgio ex recentioribus id negavit *Bekkerus in Vaste Spyse p. 58.* Ubi docet, non potuisse per fœdus aliqvod majus donum Adamo promitti, qvam possederit actu, qvia peccarit ad majorem felicitatem adspirando. Idem & ex Arminianis docuerat *Simon Episcopius in Institut. Theol. l. 2. c. 1. Vol. 1. Opp. part. 1. p. m. 23.* Ubi revelationes Adamo pariter ac Noacho factas fœderationis expertes fuisse dicit. Cum *Bekkero* etiam nonnulli alii Theologi *Coccejani* in Belgio dicuntur sensisse. Qvibus autem contradicunt alii *v. g. Burmann. in Synops. l. 11. c. 2. Jo. Braunius in doctrin. fœder. Vol. 1. part. 3. Loc. 8. c. 2. n. 3. p. m. 250.* Sic & reliqvi *Reformati* docent contrarium. vid. *Maresi. in System. Nov. p. 369. Hermann. Witsi. in Oecon. fœder. l. 1. c. 2. n. 3. p. m. 8. sq. Melch. Leydekker in face veritat. Loc. 9. Controv. 4. p. m. 399. Jo. Henr. Heidegger in Corp. Christ. Theol. L. 9. n. 16. Tom. 1. p. m. 306.* Ex Nostratibus de hac Controversia vide *Dn. D. Hæberlin in disp. de Fœd. Nat.* Magnif. *Dn. D. Joh. Wolfg. Jæger in Jure DEI fœderali delineato qv. 1. p. m. 14. sqq.*

§. II. Prænotamus nos (1.) sermonem esse hac vice de primo homine non tam in *statu lapsus*, qvam *statu integritatis* adhuc spectato. (2.) Sermonem esse non tam de fœdere *Evangelico* post lapsum inito; qvam *legali*. (3.) Sermonem esse de fœdere non *æqvali*; sed *inæqvali*, prout tale esse potest etiam aliàs inter Patrem & Filium, aut inter Subditum & Superiorem, ut videre est apud *Livium l. 9.* Inæqvalia hæc fœdera

fœdera ab Antiqvis συνθήκαι ἐγκῶν ἐπισαγμάτων vocata fuisse docet *Hugo Grotius de Jure Belli & Pacis l. 1. c. 15. §. 6.* Qvibus prænotatis dicimus: *Utiqve DEus cum primo homine in statu integritatis pepigit fœdus.* Prob. (1.) ab expressa Scripturæ S. litera, qvæ fœderis hujus Adamitici meminit *Hos. VI, 7.* Ubi vocabulum אדם non *appellative*, sed *proprie* & *personaliter* explicandum, uti & *Job. XXXI, 33.* vocabulum hoc occurrit, &, qvemadmodum etiam nonnulli volunt, *Prov. XXX, 2.* (2.) à promissione illa, qva DEus Adamo liberaliter promisit præmium vitæ æterna sub conditione præstitæ legi obedientiæ. Qvo in pacto omnia adsunt, qvæ alias ad fœdus spectant, nempe (a) partes contrahentes, DEus nimirum & Adamus. (b) Stipulatio & adstipulatio. (c) Conditiones fœderales (d) sanctio pœnalis. (e) restipulatio. vid. *Dn. D. Jæger l. c. p. 17. sqq.* conf. & *Braunium l. c. p. 250.* (3.) ex disserta oppositione *Justificationis legalis & Evangelicæ Rom. III, 24. Illa* autem locum habuisset ante lapsum, uti *hæc* post lapsum, & qvidem instar fœderis vid. *Jerem. XXXI, 31. sqq.* (4.) ex appetitu Adami æternæ vitæ, ne itaqve in dubio fluctuaret animus Adami, fœdere hoc opus erat. (5.) Consentit nobiscum ex Patribus *D. Augustinus*, qvi de *Civitat. DEI l. 16. c. 27.* ita: *Testamentum autem primum, qvod factum est ad hominem primum profecto illud est: qva die comederitis &c.* Nec dissentiunt alii Patres, & orthodoxi Ecclesiæ Doctores.

§. III. *Objic. (I.)* Summam esse partium distantiam, & DEum esse absolutum omnium creaturarum Dominum, qvibus pro lubitu & arbitrio potest officia qvævis præscribere, citra hoc, qvod ipse vicissim obligatus sit *Rom. XI, 35. Resp.* Absolutum hoc DEI dominium non excludit συγκαταβασιν qvandam, qva illud ita temperatur, ut bonitas ejus ubivis sit conspicua *Ps. VIII, 5.* Licet nunc utiqve pro absoluta hac sua potestate DEus primo homini præscribere potuisset, nihilominus tamen ut obedientiam voluntariam, qvæ solum ipsi grata est, ab homine eliceret, fœdus hocce inire voluit, qvod obedientiam exegit, & reciproce præmium promisit, addita pœnæ denunciatione, ne omnino inter pares res videretur agi, aut qvasi homo DEO obstrictus non esset. *Objic. (II.)* Ex homine nihil utilitatis DEO accrescere, est enim sibi sufficiens. In fœderibus autem utilitatem mutuam respici ex regulis Justitiæ commutativæ. *Resp.* Ex hisce nihil aliud seqvitur, qvam fœdus

hoc

hoc non fuisse æqvale, id qvod lubenter concedimus; ex qvo tamen non seqvitur, inter DEum ac creaturam non posse esse fœdus inæqvale. *Objic. (III.)* Officium, qvod primus homo DEO præstare debuit jam antecedenter fuisse debitum, primumqve hominem agnoscere debuisse, se fuisse servum DEI. *Resp.* Lubenter & hoc concedimus; at vero & hoc ostendere DEus voluit, qvam liberaliter cum homine agere voluerit, dum cultum & obsequium non postulaverit frustra, & sine spe remunerationis. Ir de nec homo, licet etiam omnia præstiterit, qvicqvam per modum meriti proprie sic dicti exigere potest.

Qv. VI.

QVOMODO ADAMUS HOC IN FOEDERE SESE HABUERIT?

§. I.

PRimus homo duplici modo consideratur, vel ut *individuum*, & sic omnino pro se obligatus fuit in hoc fœdere: vel consideratur qvoqve ut *parens totius generis humani*, & sic omnino etiam pro toto genere humano stetit. Sed hic ulterius qværitur: utrum stetit ut *caput naturale*; an vero ut *morale*? Sunt ex recentioribus, qvi docuerunt, imputationem peccati non tam in eo consistere, qvod ipsum Adami peccatum nobis irrogetur, sed potius in eo, qvod rupto fœdere DEI cum universo genere humano nos liberi ejus cujuscunqve illius fortunæ hæredes extra DEI amicitiam nascamur, nec DEI amplius; sed Adami imaginem geramus, sicqve Adamum in hoc fœdere stetisse saltem ut caput naturale seu seminale. Sic docere visus est *Burmann in Synops. l. 2. c. 9. §. 4. Velthusium* huc qvoqve refert *Maresi. in Syst. Nov. p. 276. Placæum* & *Amyraldum* etiam negare Adamum hic stetisse ut *caput fœderale*, docet *Dn. D. Jæger in Jure DEI fœderali p. 38.* Sententiam hanc refutant reliqvi Reformati v. g. *Melch. Leydekker in face veritat. Loc. 10. Controv. 4. p. 440. sqq. Maresius l. c.* aliiqve, secuti *Gisbertum Voetium*, qvi in *disp. Sel. part. 1. p. m. 1082.* statuit, labem originalem non propagari per naturalem generationem, sed per solam imputationem, adeoqve hic facit Adamum tantum caput *morale* seu *fœderale*. Sed utramqve partem refutat *Dn. D. Jæger l. c.* do-

l. c. docendo Adamum in hoc fœdere ſtetiſſe & ut caput *fœderale* ſeu *morale*, & ut *caput ſeminale* ſeu *naturale*. conf. & *B. Calov. in Syſtem. Tom. 5. p. 157. B. Hülſemann. in prælect. in Form. Conc. p. m. 362. ſqq.* item *B. Jo. Ad. Oſiandr. in Syſtem. art. 46. part. 2. p. 238. ſqq.* & ex ipſis Reformatis *Hermann. Witſ. in Oecon. fœder. l. 1. c. 2. n. 14. p. m. 14.* Idem qvoqve propugnare videtur *Joh. Braun. in doctr. fœder. Vol. 1. part. 3. Loc. 8. c. 2. n. 4. p. 250. ſq.*

§. II. Prænotatis iis, qvæ jam in præcedente qv. notata fuerunt, dicimus: *Adamus in hoc fœdere ſtetit & ut caput naturale ſeu ſeminale, & ut caput morale ſeu fœderale:* Prob. *prius* (1) qvia in primo homine tanqvam in capite naturali ac radicali nos omnes dicimur fuiſſe *Act. XVII, 26. Hebr. II, 11.* (2.) qvia inſtitutio conjugii, factaqve benedictio non tantum individua prima; ſed & totum genus humanum ſeminaliter à primis parentibus propagandum reſpiciebat. (3.) Qvia hinc etiam imago naturaliter propagata fuiſſet. (4.) Qvia peccatum qvoqve ſeminaliter propagatur *Gen. V, 3. Pſ. LI, 7. &c.* indicio, in antecedente fœdere Adamum utiqve ſtetiſſe ut caput *ſeminale* & *radicale*. *Poſterius* prob. (1.) ex clariſſima Scripturæ S. litera *Rom. V, 14. 16. 17. 18. 19.* (2.) ex exemplo *Adami ſecundi* fœderis novi fundatoris. Sicut enim *ſecundus Adam* in *fœdere Evangelico* perſonam totius generis humani ſuſtinet, ſic ut tota ejus obedientia activa & paſſiva in commodum cedat generis humani, & de facto fidelibus ita imputetur, qvaſi ipſi perfecte adimpleviſſent legem *Rom. III, 26.* ſic etiam *primus Adam* ſuſtinuit vi *fœderis legalis* perſonam generis humani & ejus obedientia poſteritati imputata fuiſſet. Qva ratione Adamus hic ſtetit ceu *legatus* totius generis humani, cui DEus dixit ut olim Iſraelitis *Deut. XXIX, 15. Non tecum duntaxat pango hoc fœdus; ſed & cum iis, qvi nec dum hic ſunt.*

§. III. *Objicitur* contra *prius:* labem originalem non propagari per naturalem & ſeminalem curſum; ſed per fœderalem. Atqve hinc factum eſſe, ut Chriſtus immunis fuerit à peccato, qvia in Adamo non fuerit fœderaliter; ſed tantum naturaliter. *Reſp.* (1.) Labem originalem propagari tantum per curſum fœderalem, & non per naturalem, falſum eſt. Contrarium elucet ex clariſſima Scripturæ S. litera *Pſ. LI, 7.* (1.) Chriſtum qvod concernit, invertenda potius eſt doctrina

hæcce, & dicendum, reliqvos homines deſcendere naturali & ſeminali propagatione ab Adamo, Chriſtum autem deſcendere propagatione *fœderali*. Nam fœderalis promiſſio Protoplaſtis facta eſt de ſolius mulieris ſemine, oppoſito ſemini maris, contrituro caput ſerpentis *Gen. III, 15.* Unde hujus ſeminis promiſſio expreſſis verbis dicitur διαθηκη *Gal. III, 17.* conf. *B. Hülſemann. l. c. p. 365.* Contra *Poſterius Objicitur* potiſſimum hocce: Qvi publicam perſonam ſuſtinet, aut alterius nomine aliqvid agit, ſic ut actio talis alteri imputari poſſit, neceſſum eſſe, ut accipiat ab altero mandatum, aut ad minimum, ut alter conſenſum ſuum adhibeat; ſed Adamum nullum à poſteritate mandatum accipere potuiſſe, cum illa nondum extiterit. Idem dici debere de conſenſu. *Reſp.* Gratis hæc omnia de mandato & conſenſu aſſumuntur. Sufficit Juſtiſſima DEI Diſpoſitio conſtituentis unum pro capite Politico, ne cum ſingulis perſonis fœdus illud renovare deberet: Qvin ita ſancientis, ut bonorum æqve fieremus participes, ſi Adamus fœdus obſervaſſet, uti nunc de malo participamus, poſtqvam illud fœdus eſt ruptum. Nempe imitantur ſecus ſentientes genium filiorum hujus ſeculi, qvi non agnoſcunt paternam hæreditatem, ſi videant debita à patre contracta ſuperare hæreditatem, alioqvin cum fortunam opulentam cernunt, ſe Jure ſuccedere clamitant. Vid. *Dn. D. Jæger l. c. p. 39.*

Qv. VII.

AN ET QVÆNAM DENTUR SIGILLA HUJUS FOEDERIS, SEU SACRAMENTA PARADISIACA?

§. I.

ET de Sigillis hujus fœderis & Sacramentis Paradiſiacis inter recentiores Theologos diſputatum fuit. *Reformati* nonnulli pro Sacramentis Paradiſiacis, ſigillisqve hujus fœderis habent *Arborem Vitæ & arborem ſcientiæ boni ac mali.* His vero in Belgio ſeſe oppoſuerunt Theologi *Coccejani.* Ipſe *Johannes Coccejus* de *fœdere §. 19.* negat arborem ſcientiæ boni & mali fuiſſe Sacramentum, & ſeqv. §. *32. Paradiſum & arborem vitæ* pro Sacramento cœleſtis civitatis & æternæ vitæ in ſtatu integritatis habet. Sic & *Chriſtoph. Wittich.*

in

in Theol. Pacif. n. 358. p. m. 316. licet arborem vitæ pro Sacramentali habeat, tamen arborem scientiæ boni & mali sacramentalem fuisse negat. Conf. qvoqve *Burmann. in Synopſ. l. 2. c. 5. §. §. 1.* & *Petrum Allingam in Face Diſſdii extinct. c. 77. p. m. 155. ſqq.* Qvos refutat *Dn. Melch. Leydekker in Face Veritat. Loc. 9. Controv. 6. p. 410. ſqq. Hermannus Witſius* autem in *Oeconom. fœder. l. 1. c. 6. n. 2. p. m. 52.* qvatuor Sacramenta recenſet, nempe *1. Paradiſum. 2. Arborem vitæ. 3. Arborem ſcientiæ boni & mali. 4. Sabbatum.* Arborem Scientiæ boni & mali pro Sacramento qvodam etiam habet Dn. *Sam. Lib. Baro de Pufendorf de Jure feciali Divino p. m. 107.* Qvos refutat *Dn. D. Jæger in Jure DEI fœderli qv. 5. p. 59. ſqq.* ubi militat pro *arbore vitæ* ceu *Sacramento Paradiſaico*, & ſigillo hujus fœderis. Qvam ſententiam qvoqve fovere videtur B. *Dn. D. Jo. Adam Oſiander, in Syſtem. Theol. ſ. Theolog. Poſitiv. Acroamat. part. 2. art. 46. Theſ. 1. p. m. 238.* Qvemadmodum & ex *Reformatis* huic ſententiæ favet *Dn. Joh. Cloppenburg. in Syntagm. ſelectar. Exercitat.* in qvo & habetur *faſcic. 18. Selectar. Diſpp. Diſp. 3. n. 10. & 11. p. m. 342. ſq.* & *diſp. 4. n. 22. p. m. 355.* (qvæ ultima diſſertatio qvoqve habetur in *diſſertationibus* illis *Hug. Grotii aliorumqve de Cœnæ adminiſtrat. ubi Paſtores non ſunt à Dodwell. editis.*)

§. II. Prænotamus nos (1.) ſermonem hâc vice eſſe non de fœdere illo *Evangelico* poſt lapſum erecto, ſed de *fœdere legali* ante lapſum in ſtatu integritatis jam inito. (2.) Variam eſſe vocis *Sacramenti* acceptionem. Sic namqve (a) ſumitur *generaliter* de re qvavis abſtruſa, myſtica ac divina. (b) *Specialiter* de rei Sacræ, & cœleſtis ſigno, qvale eſt in natura in iride, in regno gratiæ in ſacrificio, ſive ut alii loqvuntur pro ſigillo promiſſiones divinas, gratiamqve ejus obſignante & confirmante. (c) *Specialiſſime* de ſigillo promiſſionem Evangelicam, externo viſibili elemento obſignante. vid. *B. Calov. in Syſtem. Tom. 9. p. 89.* & *Dn. D. Jæger. l. c.* (3.) Sermonem eſſe de Sacramentis non in ſenſu *Calviniano*; ſed *orthodoxo*. Qvibus prænotatis dicimus: (I.) *Sacramenta Specialiſſima ſic dicta in Paradiſo locum non habuere.* Prob. (1.) qvia hæc Sacramenta ſunt ſigilla fœderis Evangelici, verbiqve Evangelici; cujus nucleus eſt Chriſtus. Qvod vero Evangelium in Paradiſo non fuit. (2.) Sacra-

menta hæc nos uniunt cum Christo, qvi vero non veniſſet, ſi homo non peccaſſet. (3.) Sacramenta hæc cedunt in remiſſionem peccatorum, qva rurſus in Paradiſo non fuit opus. Adeoqve hæc Sacramenta tantum fœderi Evangelico ſunt propria, ſicqve in fœdere legali locum habere non potuerunt. Dicimus (II.) *Sacramenta ſpecialiter ſic dicta in Paradiſo locum habere potuerunt, ſicqve datur ſigillum hujus fœderis.* Prob. (1.) à communi ratione fœderum, qvæ obſignari ſolent, cum ergo Clementiſſimum illud Numen qvaſi Hominis inſtar cum primo homine fœdus inierit, ut ſupra jam probatum dedimus, probabile eſt, ſigillum qvoqve qvoddam additum fuiſſe. (2.) A communi DEI cum hominibus agendi more. Sic namqve in omnibus ferme promiſſionibus tantæ liberalitatis DEus fuit, ut licet ejus verba ſint ἀξιόπιστα, fidem tamen ſuam ſemper oppignoravit certis ſignis & ſigillis, v. g. qvando poſt diluvium promiſit, mundum non amplius interiturum per diluvium, iridem poſuit in ſigillum fœderis *Gen. XI, 12.* & ſic in aliis qvoqve caſibus. Probabile ergo omnino qvam maxime, & in fœdere Paradiſiaco id fuiſſe factum. Dicimus (III.) *Sigillum hocce procul dubio fuit Arbor vitæ.* Prob. (1.) qvia reqviſita omnia habuit ſigilli. Nam initio ſignum erat immortalitatis, qva Adamus jam tum Candidatus certo gaviſus fuiſſet, ſi in obedientia perſeveraſſet. Poſita enim in hunc finem à DEO fuit, ut exinde primus homo certus eſſet, qvod nunqvam mortalitatem ſubiturus eſſet, ſi perſiſteret in obſeqvio erga DEum. Deinde non merum tantum & inane ſignum fuit; ſed etiam vim qvandam præ omnibus aliis arboribus habuit vitam hominis conſervandi. Neqve enim immortalitas primo homini conceſſa fuit *abſolutè*, ut in altera vita eam habebimus; ſed *ordinata* & ad certa media divinitus conſtituta *adſtricta*. (2.) Ab indigitamento illo cœleſtis beatitudinis in vita æterna, qvo utitur Chriſtus *Apoc. II, 7.* promittens manducationem ex arbore vitæ. Qvæ non tantum eſt figurata Poetica alluſio, ſed demonſtratio τῷ ναὶ καὶ τῷ Αμὴν in Chriſto primæ promiſſionis illius, qvæ Sacramento iſtius arboris primo homini fuit obſignata, tunc legalis, & pendens à conditione perfectæ obedientiæ. Sed nihilominus tamen magna manet differentia inter Sacramenta fœderis Evangelici & legalis, de qvo ex inſtituto & prolixius agit *Dn. D. Jæger l. c. qv. 6, p. 68. ſqq.* Dicimus (IV.) *Arbor*

bor scientiæ boni & mali non fuit Sacramentum specialiter sic dictum. Prob. (1.) qvia Sacramenta & sigilla solent esse signa aut pignora favoris divini, etiam media efficacia ejusdem, qvorum usus inservit felicitati utentium. Sed arbor hæc minatur mortem, perqve eam conditio hominis primi deterior fuit facta, ejusqve usus ad summam infelicitatem servit. Plane nullam ergo rationem sigilli alicujus habuit. (2.) Qvia homo ab arbore hâc repellitur per prohibitionem, qvalis vero prohibitio nullibi in Sacramentis locum habet. Dicimus (V.) *Nec Sacramentum fuit Paradisus.* Eqvidem in sensu *latiori* inter sigilla fœderis referri posset. Vide *Jæger l. c. p. 63.* attamen non tale fuit sigillum, qvale *arbor vitæ* fuit. Probatur: Qvia arbor vitæ contulisset immortalitatem, & hominem præservasset à morbo & morte; Paradisus vero tantum dedisset alimenta ad qvotidianum cibum. Vide *Jæger l. c.* Dicimus (VI.) *Nec Sabbatum tale sigillum aut Sacramentum fuit.* Prob. (1.) qvia Sabbatum est pars legis, adeoqve & ipsius fœderis. Non ergo sigillum ejus commode dici poterit. (2.) Qvia & in Decalogo hæc lex habetur, nec tamen hic rationem Sacramenti habet.

§. III. Pro *arbore scientiæ Boni & mali Objic. (I.)* Adesse hic omnia reqvisita Symbolum & Sacramentum constituentia, nempe 1. externum & visibile signum à DEO institutum 2. adesse rem significatam, pulchram scil. analogiam. 3. commonefactionem officii hominis. *Resp.* (1.) Si hæc tria reqvisita ad Sacramentum sufficiunt omnes leges in V. T. latæ Sacramenta erunt. Et conjugium sic fuisset Sacramentum. Nam & hic adest res visibilis, conjuges: res significata est pulchra analogia, notat enim Spirituale conjugium: adest qvoqve commonefactio officii. (2.) Necessario ergo & alia qvoqve reqvisita erunt, imprimis etiam obsignatio gratiæ. At vero hanc in arbore hacce non fuisse ex modo jam dictis satis patescit. *Objic. (II.)* Hanc arborem obsignasse promissionem, qvatenus exploratæ hac arbore Adami obedientiæ juxta promissionem ex fœdere debebatur altior felicitas, qvam in Paradiso frui erat datum. *Resp.* (1.) Ergo saltem hac arbore exploratio fuit facta; sed vero inde non seqvitur, fuisse Sacramentum. Alias namqve & in N. T. crux, calamitas, tentatio foret Sacramentum, qvia & eâ fit exploratio. (2.) Si exploratio facta fuisset per jussam & concessam fractionem, argumentum forte aliqvid valeret.

Jam vero exploratio facta fuit per prohibitionem, & jussam abstinentiam ab hac arbore. Qvæ qvomodo conveniunt cum Sacramento, cujus ratio est per usum obsignare? Pro *Paradiso & Sabbato Objicitur* potissimum hocce: significatum habuisse mysticum, Paradisum significasse cœli gaudia, Sabbatum significasse qvietem beatissimam hominis in cœlis. *Resp.* Sufficit id qvidem ad Sacramentum in sensu Calviniano, in qvo Sacramenta non nisi figuræ sunt meraqve signa. Non autem id sufficit in sensu Orthodoxo, in qvo etiam reqviritur ad Sacramentum obsignatio, & exhibitio. Qvalis vero convenientia hic in Paradiso & Sabbato non datur.

Qv. VIII.

AN NATURALITER PROPAGATA FUISSET IMAGO DEI?

§. I.

PLane non homines primævos sese multiplicaturos fuisse, si in statu integro mansissent, docet *Thomas Hobbes in Leviath. c. 38. p. 209. sq.* Sic namqve scribit: *Nisi peccassent Adamus & Eva vixissent in Paradiso terrestri ipsi sine prole in perpetuum &c.* Et *Rob. Flud. l. 1. de vit. c. 1. q. 11.* idem propugnat, qvi ad Sphæram generationis hominem nonnisi ob peccatum dejectum esse asserit. Qvæ opinio nonnullis Patribus qvoqve, ut *Gregor. Nysseno, Chrysostomo, Evtymio, Procop. Gazæo & Damasceno* à qvibusdam tribuitur. vid. *Calov. in Syst. T. 4. p. 463.* Contra *Joh. Bapt. Helmontius* propagationem qvidem concedit, modum autem non *naturalem*; sed *supernaturalem* facit. Sic namqve in *libr. demonstr. thes. n. 3. p. 418.* docet: *Non naturaliter per Virum; sed supernaturaliter propagata fuisset imago DEI, nempe per Spiritum S. Qvi qvomodo generasset in Eva omnem hominum posteritatem, id humana mens assequi non valet, nisi viam ejus sacer textus manifestasset in DEI para virgine, qvæ nimirum non concepit ex; sed de Spiritu S. Divinus nempe Spiritus in Virginis Evæ sanguine arteriali cordis causatus fuisset conceptum humanum prolium, simulacrum divinitatis cum cunctis charismatibus suis absqve carnis voluptate. Mens autem sic in veste sanguinis concepta*

cepta in utero virginis in specie humana incrementum sumsisset ac plenariam inde maturitatem. Ille enim qvi clauso utero, clausis q; januis in mundum venit, & ad suos etiam è capsa cordis, in qvo conceptus est, consensu præeunte, virginis ad uterum delatus servatusqve usqve in corporis maturitatem, omnia nempe membra penetrans delatus est in uterum. Contra *Hobbesium* vide *Johann. Templer in idea Theolog. Leviathan. Dogm. 23. p. m. 147. sq.* & *Gisbert Cocqvium in Hobbesianismi Anatom. Loc. 9. c. 16. p. m. 153.* Contra *Helmontium* vide *Dn. D. Koepkenii Disp. Sub Præsidio Dn. D. Jo. Andr. Schmidts hab.* & supra jam *citatam p. 28. sq.*

§. III. Prænotamus nos (1) qværi de imagine divina non in *sensu spurio*; sed *genuino* accepta, & de qva in præcedentibus hactenus disputavimus (2.) sermonem esse de propagatione non prouti nunc in *statu lapsus* sese habet; sed *statui integritatis* convenienti. Atqve hinc jam dicimus (I.) *Omnino & in statu integritatis propagatio qvædam facta fuisset, etiam si homo non peccasset.* Prob. (1.) à clarissima Scripturæ S. litera: *crescite & multiplicamini & replete terram Gen. I, 28.* Vi cujus benedictionis divinæ omnino primus homo multiplicasset sese per generationem, qvippe hæc benedictio jam ante lapsum fuit facta, nullo ad lapsum habito respectu. (2.) Qvia & reliqvæ creaturæ speciem suam propagare debebant. Hinc haudqvaqvam vel divinæ bonitati, vel humanæ felicitati convenit præstantissimam creaturam uno Adami individuo terminari. Potuisset alias etiam DEus omnes homines simul, ut Angelos, creare. Sed qvia placuit divinæ Sapientiæ, ut ex *uno sanguine omne genus humanum supra omnem faciem terræ habitaret Act. XVII, 26.* ideo ex Adamo mulierem primum, ac per conjugium Adami mulierisqve deinceps gentem omnem humanam prodire voluit. (3.) Qvia si propagatio non habuisset locum, nec Eva fuisset opus, qvæ nec etiam ut conjux Adamo adducta fuisset, nec conjugium hoc ipse Christus deprædicasset *Matth. XIX, 4. 5.* Dicimus (II.) *Et per hanc generationem Imago DEI naturaliter propagata fuisset; non autem per Spiritum S.* Prob. (1.) Rursus à clarissima Scripturæ S. litera *Gen. I, 28.* ubi per hominem & non per Spiritum S. *multiplicatio* hæc dicitur fieri. (2.) Qvia imago DEI homini erat *naturalis*, erat enim *concreata*, adeoqve & nonnisi natu-

naturaliter propagabilis fuit. Bene *Thomas l. q. C. a. 1.* hac ratione utitur, prout eam *Valentianus* propopoſuit ap. *Calovium l. c. Qvod ea omnia accipiant liberi a parentibus una cum natura, qvæ parentibus conveniunt principaliter, non ut tales ſunt in individuo; ſed ſecundum communem naturam ſpeciei: tale autem donum fuerit Juſtitia Originalis, qvia datum Adæ, qvatenus is erat caput totius generis humani, ac proinde, ut in illo ſecundum naturam ſpecificam continebantur omnes poſteri.* (3.) Qvia & Peccatum originale naturaliter propagatur per hominem lapſum *Gen. V, 3. Rom. V, 12.* Ergo qvoqve habitus ille, qvi eidem oppoſitus fuit, ſic propagatus fuiſſet. (4.) Qvia ſi per Spiritum S. ſupernaturaliter totum genus hamanum ad imaginem DEI ex Eva propagandum fuiſſet, non opus fuiſſet ceu marito Adamo, cum qvo Eva ex Benedictione divina multiplicare tamen ſeſe debebat.

§. III. *Objic. (I.)* ab *Hobbeſio*: Si ſicut homines nunc ita immortales generaſſent, defuiſſet non magno tempore locus hominibus, ubi pedes poſuiſſent. *Reſp.* (1.) Cum ipſe DEus multiplicationem hanc, ut jam audivimus ordinaverit ac juſſerit; & ille pro immenſa ſapientia ſua noviſſet, ubinam propagati habitare potuiſſent (2.) Non primario ad hanc, ſed ad cœleſtem vitam primus homo qvoqve conditus erat, ad qvam omnino etiam perventurus fuiſſet, licet non ut hodie per mortem, tamen alio & naturæ integræ convenienti modo. Et ſicut jam morte efficitur, ut in terris ſit ſat ſpatii ad continendos homines, ita idem effectum fuiſſet translatione illa in cœleſtem regionem, ſi Adamus & Eva ſuam innocentiam non exuiſſent. *Objic. (II.)* ab *Helmontio.* Deiparam Virginem ſic peperiſſe E. & Evam ſupra recenſito modo parituram fuiſſe in Paradiſo. *Reſp.* (1.) Conſeqventia à Deipara ad Evam eſt nulla. Eva namqve non fuiſſet Deipara ut Maria, & propterea nec opus erat in Paradiſo ſupernaturali hoc Spiritus S. concurſu. Neqve Eva paritura fuiſſet ut virgo, nec ut deſponſata ſaltem; ſed ut revera copulata cum Marito ſuo ſub Benedictione illa divina: *Créſcite & multiplicamini.* Naturalis ergo omnino propagatio hæcce futura fuiſſet (2.) modus ille conceptionis ab Helmontius ἄλλης γραφῆς effingitur.

Qv. IX.

Qv. IX. Disp. X.

NUM DUPLEX DETUR IMAGO DEI, ALIA EXTIMA, ALIA INTIMA?

§. I.

Sic docet *Isaacus Peyrerius in Systema. Theol. ex Præadamitar. hypoth. l. 1. c. 4. p. m. 16. sqq.* ubi inter alia ita: *Concedi mihi velim, aliam esse imaginem DEI, quæ impressa est creationi primæ: aliam quæ recreationi, vel creationi secundæ indita est. Expressit DEus in creatione prima imaginem prototypi sive artis illius suæ mirabilis, qva mundum & qvacunqve in eo sunt, summis rationibus finxit, temperavit, & libravit. Expressit DEus in recreatione, qvæ secunda creatio est imaginem naturæ suæ ipsius, qva mundum dilectione & caritate sua communicavit. Exhibuit DEus in creatione prima opus suum exterius: sed aperuit viscera ipsa caritatis suæ in secunda creatione. Creatio prima expressit imaginem DEI, qvam dixisse liceat extimam: secunda creatio illam, quæ intima est.* Contra hanc hypothesin vide B. *Dn. D. Dannhauer in tr. Præadamita Ultisp. m. 386.* & B. *Dn. D. Schomer. in Colleg. Novissim. Controv. c. 8. §. 3.*

§. II. Prænotamus nos (1.) sermonem esse de imagine DEI non *abusive*, sed *verè* ac *genuine* sumta. (2.) Sermonem esse non de imaginis diuinæ post lapsum renovatione; sed de creatione ad imaginem DEI ante lapsum facta. Qvibus prænotatis dicimus. *Una saltem est imago DEI, non duplex, alia extima alia intima.* Prob. (1.) Qvia nullibi Scriptura S. hic distinctionem qvandam facit. (2.) Qvia Scriptura S. potius clarissimâ litera unius saltem imaginis divinæ meminit *Gen. I, 27.* ejusqve tam *intimæ* tam ad vivum, qvam est imago Adami in Setho repræsentata, eadem utrobiqve Phrasi *Gen, V, 3.* ברמותו בצלמו longo longius diversa à vestigiis divinitatis creaturis reliqvis impressis. Factus enim homo est ad imaginem, ad similitudinem, per *Hendiadyn* exegetice accipiendo de imagine qvadam simillima, non umbratili, ut in vestigio; sed clara ut speculo relucente. (3.) Qvia una eademqve est imago, cujus ratio omnibus omnino hominibus æqvaliter ad mutuam securitatem prodest *Gen. IX, 6.*

§. III. Non habet *Peyrerius*, qvæ *Objiciat*, omnia enim falsissimis nituntur hypothesibus v. g. (I.) duplici illa creatione. Qvæ à nobis jam in *præced. Cap. qv. 1.* est explosa. (II.) Creatione primi hominis cum obliquitate, dissidio carnis, inclinatione ad malum. Qvæ omnia sunt falsissima, & in Systematibus qvibusvis refutata leguntur, in qvibus Status purorum naturalium rejicitur.

CAP. VI.

De PECCATO!

Qv. I.

AN NATURALIS FUERIT SERPENS, QVO DIABOLUS IN SEDUCTIONE EVÆ USUS?

§. I.

TOtam Historiam lapsus Protoplastorum nostrorum jam ex antiqvioribus *Origenes Homil. 13. in Exod.* allegorice explicare conatus est. Ex recentioribus hæc approbat *Adrian Beverland. in tr. de Peccato orig. p. m. 36. sq. Th. Burnet. in Archæol. Philos. l. 2. c. 7.* itidem allegorice omnia & per modum parabolæ interpretatur. Qvi refutatur ab Auctore libri sub titulo: *Moses vindicatus p. 148. sq.* sic & *Balthas. Bekker* in der bezauberten Welt *l. 2. c. 20.* non serpentem naturalem hic vult intelligi; sed Metaphorice ipsum Diabolum. Contra qvem vide *diss. de Tentatione Evæ & Christi nostro sub Præsidio hab.* pluresqve ibi *Sect. I. §. 11.* contra *Bekkerum citatos.*

§. II. Prænotamus nos (1.) sermonem esse non de *Serpente in genere*; sed speciatim de *serpente* qvodam *naturali.* (2.) Intelligere nos serpentem non *mere naturalem*, is namqve utiqve istiusmodi effectus edere non potuit; sed serpentem naturalem eumqve à *Diabolo obsessum.* Qvibus prænotatis dicimus: *Serpens omnino naturalis, & proprie talis fuit, qvo Diabolus in Paradiso in seductione Evæ usus fuit.* Prob. (1.) ex ipsa voce נחש collata cum vocabulo græco ὄφις *2. Cor. XI, 3.* Qvæ vocabula proprie serpentem naturalem significant.

Jam

Jam vero à proprietate literæ nulla urgente neceſſitate recedendum non eſt. Qvod autem iſtiusmodi neceſſitas hic non ſit, ſatis ex eo videre eſt, qvod Diabolo iſtiusmodi operatio non repugnet, qvemadmodum jam *Cap. Præced. 3.* contra *Bekkerum* probatum dedimus. (2.) Ex comparatione ſerpentis cum aliis agri beſtiis proprie ſic intellectis *Gen. III, 1.* (3.) ex *Gen. III, 4.* ubi ſerpens ſic obſeſſus dicitur locutus ad Evam, *collat.* cum verbis Evæ *v. 13. decepit me.* Ex qvibus colligitur, hoc nomine tum nondum immediate inſigniri potuiſſe Diabolum ipſum, qvia Eva procul dubio non novit, fuiſſe Diabolum, cum qvo locuta, cum procul dubio qvoqve nondum noverit, Angelos qvosdam jam lapſos fuiſſe, cum qvibus aliàs in colloqvium non deſcendiſſet. (4) Qvia Eva procul dubio hunc ſerpentem vidit, & audivit. Notanter enim dicit cum ה Emphatico הנחש *ſerpens ille decepit me*, i. e. ſerpens ille, qvem tu inter reliqvas agri beſtias creaſti, qvem hic non tantum vidi, ſed cui loqventi etiam aures præbui, imo qvem adhuc video, decepit me. (5.) Ex maledictione & pœna, qvæ & naturalem ſerpentem omnino tetigit *Gen. III, 14.*

§. III. *Objic.* (*I.*) Serpenti adſcribi ſermonem, & iſtiusmodi alia, qvæ ſerpenti naturali, & proprie ſic dicto competere neqveant. *Reſp.* Diſt. inter ſerpentem mere naturalem, & inter ſerpentem naturalem à Diabolo obſeſſum. Hunc intelligimus, non illum. Atqve ſic omnia conciliari facile poterunt. *Objic.* (*II.*) Si Diabolus ſerpentem loqvi fecerit, ſeqvi, Diabolum majus miraculum feciſſe qvam DEus fecit, qvi poſt mille demum annos aſinam loqvi fecit. *Reſp.* (1.) Non ſine blaſphemia conſeqventia hæc ex theſi noſtra extorqvetur. Diabolo enim hic nullum miraculum adſcribitur; ſed ſaltem mirabile aliqvod. (2.) Diabolus loqvendo per ſerpentem neqvaqvam majus qvid fecit, qvam DEus aperiendo os aſinæ. Aliud enim omnino eſt, per ſerpentem loqvi, aliud os aſinæ aperire. *Hoc* majus qvid utiqve eſt, qvam *illud*. Hoc operabatur Virtus DEI, & erat effectus ſupernaturalis, & miraculum, per qvod ipſa aſina, ex potentia ſua obedientiali loqvebatur. *Illic* vero loqvebatur non ſerpens; ſed Diabolus per ſerpentem, & erat tantum effectus aliqvis præternaturalis, & mirabilis. Reliqva in citata Diſputatione noſtra reſoluta vide.

Qv. II.

AN PRIMUM PRIMORUM HOMINUM PECCATUM FUERIT LIBIDINOSUS CONGRESSUS?

§. I.

Pessimum castisqve auribus indignum hoc est dogma *Joh. Baptistæ van Helmont*, qvi in *libr. Thes. & demonstrat. Thes. p. 140. sqq.* & in tr. *de Ortu Medic. p. 658. 641.* docet, Adamum ex naturali pomi proprietate libidinem luxuriandi concepisse, atqve inde factum esse semen naturale, ruisse in virginem Evam nudam, eamqve reluctantem vi stuprasse, imo incestum cum ea commisisse, ac tunc inverecundum virginis stupratorem barbam accepisse, ut qvadrupedum barbatorum libidinosorum signaturam præseferret. Idem delirium, qvamvis alio qvodam adhuc modo, proposuit in Belgio *Adrianus Beverlandus J. U. Licent.* Qvi *Ann. 1678. Elevtheropoli*, ut titulus habet, *extra plateam obscuram sine privilegio Auctoris absqve ubi & qvando*, suppresso suo nomine edidit scriptum sub titulo. *Peccatum Originale καθ' ἐξοχήν sic nuncupatum, philologice προβληματικῶς elucubratum à Themidis alumno.* In qvo contendit, arborem scientiæ boni & mali fuisse pudenda Adami, & per comestionem de hac arbore intelligi congressum qvendam libidinosum Adæ & Evæ, de qvo multa lasciva commentatur. Qvædam saltem adduxisse sufficiat; Sic *p. m. 20. sqq.* propria ejus sonant verba: *Erat autem & altera arbor in meditullio μικροκόσμῳ mundi minoris dicta scientiæ boni & mali, truncus, qvalem flore, fronde & germine nulla sylva profert --- Vetuerat summus legislator hujus arboris florem decerpere: Ne comedatis de hac arbore, nam hujus tentigine delibuti sincerum incrustabitis vas, & mortales esse incipietis. Culpam pœnæ premit comes, impurus enim ille Διάβολος sceleratæ mentis diris agitatus Dæmon sub ovis pelle lupus pariter ac molli sub hœdi vellere Draco ac Leviathan, prophanus apostata, libidinum incensor, à DEO Patre damnatus, à Christo separatus, à Spiritu S. alienatus, atqve ab Angelorum choro relegatus, uti olim per pythonissas boves, picasqve, ita per basiliscum aut serpentem animal lubricum, & tortuosis anfractibus mobile, ceteris callidius operi suo congruum, versi pelli astutia veritati errorem subornans allocutus*

cutus est Evam utpote tenero corpore, & infirma mente virginem, dolisque magis expositam ac ad turpes actus proclivem puellam. Mox obtentu religionis vel sanctioris vitæ aciem mentis nivea simplicitate sincerioris hostis saucius obnebulans bisulcâ vibrat linguam, & obstrangulati nunc ingenii fluctuantem mulierem malesvadarum sententiarum congerie adoritur carnifex. Ne credas, mi blanda inqvit verspellis impostor, Deum juxta immensam suam liberalitatem vobis usum illum, quem equidem quadrupedibus concessit, denegasse, cum herbam arboremque Adami noluerit otiosam sterilemque vanescere. Respondet illacrymabilis extitii Candidata lugubri periclitantis simplicitatis lingua: fructum ligni vitalis, & quamcunque herbam nobis delibare permissum; sed fructus arboris, pali & floris pulcherrimi qvem in meditullio corporis Adami plantavit naturæ auctor, carpere vetuit DEus, ne forte moriamur: Mox Candidæ columbæ pruritum anguino veneno tingens atque acuens corruptissimus fur Cotyttus ac spoliator pergit, eamqve animi virginitate modo destitutam, libidinique percitam sequentibus blanditur periclitantium παράκλητος: Novit Deus, vos nec inexorabili fatorum necessitati, nec duro Parcarum imperio succubituros, nam eo die, qvo conglutinabimini, oculi vestri aperientur, eritisqve Creatori vestro similes, dum æqve homines generando creare poteritis ac ipse DEus -- Hisce auditis rabie incendente vesania fertur ---- Properantes itaque ac perficientes in libidinis neqvitiæque commaculatione, eodem ictu & momento mitia poma, & uvas maturas comederunt fœdifragi. Reliqva merito honestas castasqve aures celamus. Mens autem spurcissima Hominis pessimi satis jam ex adductis patebit. Idem dogma idem auctor repetit in libello, qvem *Ann. 1680. Lugduni in Batavis* expresso suo nomine *Hadriani Beverlandi Justinianæi* edidit sub titulo: *de Stolatæ Virginitatis Jure Lucubratio Academica p. 1. sq.* Eqvidem *Beverlandus Ann. 1697. Londini* edidit scriptum sub titulo: *de fornicatione cavenda Admonitio, sive adhortatio ad pudicitiam & Castitatem.* Qvod & *Ann. 1710.* est recusum, Celeberrimo Dn. *Eduardo Bernardo* dedicatum. Qvâ in dedicatione testatur, se literis hujus ipsius Dn. *Bernardi* adeo esse motum, ut pœnitentiam tentaminum suorum egerit. Mox & ad finem *Dedicationis* publicam recantationem spurcissimi sui scripti subnectit,

qvam qvia hic liber forte non in omnium erit manibus, integram hic apponere liceat. Sonat autem in Editione illa, qvæ ad manus nostras ex Belgio advenit *p. 6.* ita: *Inimicis Pacem! Cum Libellum meum de P. O. post sexdecim annos forte mihi monstravit, ac prælegeret Germanus, vix exprimere potui, qvî fuerim consternatus, qvod scripturi ens talibus tempestatibus olim jactatus essem. Damno calorem improvidæ illius ætatis. Detestor adulterinum stylum, & nequiorem sensum. Gratias DEO, quod tandem velamen, quo misere cæcutiebam ab oculis meis amoverit, nec siverit me diutius huic pertinaciæ patrocinia quærere absurdiora. Idem ille cordium scrutator DEus adeo mihi fuit propitius, eamque mihi mentem dedit, ut omnia, quæ de hoc argumento scripseram, combusserim, & libros de P. V.* (Procul dubio sunt libri de Prostibulis Veterum, qvos in MSto habuit Auctor, & ad qvos sæpius in citatis suis scriptis provocat) *ad Rectorem M. Academiæ Lugduno-Batavæ transmiserim. Rogo omnes, qui clam vi vel precario aliquid à me possident MS. ut istud mihi remittant, ut & id ipse quoque tradam Vulcano. Quod si quis negligat, illi omnes imprecor calamitates, quæ Maligno, & Perfido solent contingere. Hoc vestra intererat non ignorare.* In fine qvoqve hujus scripti *p. m. 106.* sqq. devotam qvandam precationem ad supremum illud Numen annectit, qvam & hic addere placet, qvo, si seria sint omnia, eo magis de mente auctoris constet. Preces autem hæ sunt: *Ad te itaque nos vertimus, Fons pudicitiæ, & castitatis. Tuam manibus expansis, tuam genubus flexis deposcimus opem. Contrito corde confitemur peccata nostra. Peccavimus, peccavimus prodigi. Cogitationibus, factis, & facinoribus tuam, eheu, lacessivimus iram, tuam in nos provocavimus vindictam. Sumus à capite ad calcem sanioſi, nec pars ulla, proh facinus! in nobis sana. At tu Pater benigne, pœnitentibus nunquam tuam denegasti gratiam. Torquent nos à nativitate contracta usque in hunc diem congesta debita. Deprecamur æs conflatum non alienum; sed nostrum. Imploramus tuam misericordiam supplices. Petimus, ut erga nos pœnitentes, & mœrore prostratos digneris esse misericors; Hanc tuam munificentiam, bone DEus, largire nobis propter satisfactionem filii tui unigeniti, qui majorum nostrorum offensas pretioso suo sanguine expunxit, ac delevit.*

vit. Sicut nativitatis noſtræ macula puriſſimo immaculati agni ſanguine abluiſti: ita nunc ſuccreſcentes veteris contagii ſpinas evelle, eradica, & Spiritus tui S. igne conſume. Libera nos Pater Cœleſtis, ab inſubido appetitu, à cordis, à mentis cœcitate. Cor mundum crea in nobis, Domine, & Spiritum rectum innova cerebro noſtro: Defende nos contra inſidias inteſtini, & ſemper vigilantis mali, nec patiare nos filios tuos maligni vafricie duci in tentationes. Interveni cogitationibus noſtris Sanctiſſimum Numen, ne qui peccati primi Dux auctor & actor fuit, ſe noſtræ immiſceat phanthaſiæ. Illabere intellectui noſtro, ut poſſimus nos ipſos prudenter tueri. Averrunca noſmet à nobis, ut poſſimus noſmet ipſos effugere. Diſſipa caligines, ut poſſimus videre vanitatem. Doce nos ſtatuta tua, ut valeamus evitare occurſum mali, ſicut ex malitiæ ludo peccatrices perduxiſti in Gymnaſium virtutis, ita nos è voragine impuritatis extrahe. Cum autem inſito morbo mederi nonniſi connubio poſſit, ideo quæſumus, ut nobis familiaque noſtræ ſis propitius. Tu qui humanæ fragilitatis conſcius es, DEus ulceribus noſtris medicinam provide ſalutarem. Des ſodes pudicam ſinceram & bene moratam ſociam, ut bini illum, quo ardemus cœlibes, ignem extinguamus conjugati. In ipſo geniali lecto, ut torus ſiat immaculatus, converte deſideria noſtra ad verecundiam & ſobrietatem. Perſeveremus vaſa noſtra cuſtodire in honore & caſtitate, donec his excuſſis novis induti corporibus, coronam conſequamur perfectiſſimæ integritatis, illaque qua nunc ἅγιοι τετελειωμένοι gaviſi tuas decantant laudes, nos quoque in exaltatione ante Majeſtatis tuæ conſpectum conſtituti in æternum gaudeamus ſanctitate. Annue votis, annue precibus noſtris, o Pater & Sator noſter! per & propter tuum erga genus humanum amorem, ſimul & propter filii tui Redemtoris noſtri JEſu Chriſti victoriam. Cui pariter ac Tibi Omnipotens & æterne DEus & Spiritui S. ſit honor & gloria & poteſtas nunc & ſemper in ſæcula ſæculorum. Amen. Hadrianus Beverlandus ſuplex orabat in arce Vindeſorienſi Anno 1693. Bene qvidem omnia. At vero melius adhuc Conſcientiæ famæqve ſuæ conſuluiſſet Autor, ſi & ipſum dogma, qvod in ſe nefandum, aliqvantulum clarioribus revocaſſet verbis. Ut enim verba hactenus adducta ſonant, ſaltem ſpurciſſimum laſcivumqve videtur revocare ſtylum, *nequioremque* ſaltem depre-

deprecari *sensum*; non autem omnem simul; qvi tamen omnis utiqve est pessimus. Surripuisse autem hanc opinionem Beverlandum ex *Cornel. Agrippâ*, & qvidem ex *part. poster. Opp. Ejus p. 413. sq.* monet Celeberr. Dn. D. *Diecmannus in Disp. Inaug. de Naturalism. Joh. Bodini p. m. 11. 12.* Qvod & ipse *Beverlandus* non diffitetur *l. c. p. m. 36.* Forte qvoqve sua habuit *Beverlandus* ab *Isaaco Vossio*, eadem docente in *Comment. ad Catull.* Utpote cujus *Vossii* famulus dicitur *Beverland* fuisse. De *Leone Judæo* idem ferme sentiente vid. Dn. *Bayle in Dictionar. Histor. Crit. Tom. 2. p. 1193.* qvi & *p. 1191.* de *Beverlando* agit. Contra *Helmontium* vide B. *Calov. in System. Tom. 3. p. 1117. sqq. B. Christ. Chemnit. in disp. de arbore scientiæ Boni & mali p. 37. sq. B. Dn.* Ehre GOtt *Dan. Collberg* im Platonischen Hermetischen Christenthumb *part. 2. c. 3. p. m. 202. sqq.* conf. & *eundem* de *Orig. Hæres. p. m. 124.* Magnif. *Dn. D. Jæger in Jure DEI fœderal. qv. 25. p. m. 208. sqq.* Magnif. *Dn. D. Jo. Andr. Schmidt. in disp.* sub titulo: *Jo. Bapt. Helmontii Phil. per ignem in doctrina de statu Corruptionis errantes ignes Helmstadii Ann. 1708. hab. Beverlandum* ex professo refutavit *Leonhard. Rysenius Ann. 1680. in Justa detestatione Sacratissimi libelli Adriani Beverlandi JCti de Peccat. Orig.* conf. & *B. Dn. D. Just. Christoph. Schomer. in Colleg. Novissim. Controv. c. 9. §. 1. B. Schertzer. in System. Loc. 7. §. 3. in Antithes. p. m. 142.* & *Salden. in otiis Theol. l. 3. exerc. 11.* Utrumqve refutatum vide in Magnif. Dn. *D. Mich. Foertschii disp. de Peccato Orig. Jenæ Ann. 1710. hab. Qv. 1.* Eidem sententiæ *Helmontii* & *Beverlandi* in Academia Hallensi videntur favere JCti nonnulli. Sic namqve in *disp.* qvadam *inaug. Ann. 1696.* ibidem sub *Præsidio Dn. D. Henrici Bodini de obligatione forensi Juris Divini* hab. *in Præfat. p. m. 3.* haud obscure id innuitur, qvando nimirum circumcisio dicitur introducta in illa corporis parte, qvæ *instrumentum primi peccati* præbuerit. Sic & ab Illustri *Dn. D. Christiano Thomasio in disp. de fundamentorum definiendi causas matrimoniales hactenus receptorum insufficientia Ann. 1698. hab. §. 17. p. m. 7.* ut vero haud absimilis hæc venditatur opinio, qva duplex statuitur Adami lapsus: unus ante creatam Evam in desiderio consistens more bestiarum se multiplicandi, alter post creatam Evam per comestionem ab arbore vetita. Qvem duplicem lapsum *Origenem* eumqve secutos confundentes asseruisse

ruisse putat, comestionem ab arbore vetita mystice denotare congressum carnalem cum Evâ. Qvem postremum notavit simul *Dn. D. Foertsch. l. c.* & ante eum Magnif. *Dn. D. Schelgvig in Wigandianis p. m. 48.* conf. & *B. Dn. Rotth in Thomas. portentos. c. 5. n. 3. p. 50.*

§. II. Eqvidem vel legisse absurda hæcce jam est refutasse; ex superabundanti nihilominus tamen, qvid sobrie hic sentiendum sit, breviter indicandum erit. Præsupponimus nos (1.) sermonem esse de peccato primo non *absolute*; sed in *genere humano* tali. (2.) Sermonem esse non de eo, qvod lapsum primorum hominum insecutum; sed de eo, in qvo ipse lapsus *formaliter* constiterit. Qvibus præsuppositis dicimus. (I.) *Lapsus sive peccatum primum primorum hominum non constitit in libidinoso qvodam congressu.* Prob. (1.) à silentio Scripturæ S. qvæ nullibi congressus hujus mentionem facit, ultra qvam tamen hac de re gesta plane nihil constare potest, qvæ autem ab Adversariis hic proferuntur, nonnisi ex intempestivo & nefando qvodam pruritu fluunt. (2.) Qvia Scriptura S. primum peccatum primorum hominum longe aliter describit *Gen. III*, de qvo mox (3.) qvia congressus Adami cum Eva nulla lege erat vetitus, neqve *positiva*, qvæ circa arborem versabatur: neqve *naturali*, juxta qvam potius licitus erat, cum conjugium jam ante lapsum ab ipso sanctissimo DEO esset institutum, addito expresso mandato: *Crescite & multiplicamini.* Non ergo congressus hicce primum potuit peccatum fuisse. Ubi enim nulla Lex, ibi nec ulla est transgressio. Eqvidem *Beverlandus de Peccat. Orig. p. 85. sqq.* hic *excipit:* corruptum esse Codicem Hebræum, adeoqve sic benedictionem hanc divinam: *crescite & multiplicamini* transpositam esse, & pertinere proprie ad Historiam post lapsum. Qvod vero effugium *Beverlandi* nonnisi desperatæ causæ est indicium. Codicem Hæbræum non esse corruptum vel ad nauseam ferme usqve à Nostratibus est probatum, ut Adversarii, nec *Rich. Simonius*, ad qvem *Beverlandus* provocat, habeant, qvod regerere cum fundamento qvodam possint. Sicqve & inepta hæc efficta transpositio jam, ut qvilibet videt, per se cadit. (4.) Qvia libido refertur inter opera carnis *Gal. V, 19.* adeoqve est effectus peccati originalis, non ergo *Peccatum Originale formaliter* ipsum, multominus *Originis originans.* (5.) Qvia si arbor illa hanc virtutem habuisset, ut *Helmontius* qvidem fingit,

seqveretur, DEum causam & occasionem inexcusabilem lapsus dedisse creando istiusmodi perniciociſſimam arborem. Qvod omnino blasphemum est, imo & præterea cum statu integro consistere plane neqvit, in Paradiso nimirum tale qvid fuisse, cui adeo pessima & venenosa virtus inhæserit, qvæ post lapsum demum, & per maledictionem Justissimam divinam accessit. (6.) Qvia contraria sententia plane falsissima & absurdissima hypothesi nitur, primum scilicet hominem natura labilem fuisse creatum. Sic namqve *Beverlandus* Evam vocat *tenero corpore & infirma mente virginem dolisqve magis expositam ac ad turpes actus proclivem puellam.* Qvæ in imaginem DEI, ad qvam & Eva condita erat, maxime injuria sunt, statumqve purorum naturalium crassisime nimis inferentia, imo ipsam imaginem DEI revera negantia contra expressam Scripturæ S. literam. Vide Systemata & Compendia Theologica passim. (7.) Qvia nemo unqvam ex Antiqvioribus Orthodoxis absurdam hance sententiam fovit, & contra nonnisi à pessimis Hæreticis adinventa est. vid. *B. Colberg de Orig. & progressu Hæres. l. c.* (8.) Qvia sententia hæc maxime lasciva est pariter ac blasphema, Scripturamqve Sacram qvam pessime pervertens. Qvare & merito inter opiniones Atheorum Empæctarum refertur. Dicimus (II.) *Potius primum peccatum Protoplastorum fuit incredulitas, indeqve orta comestio de arbore illa vetita Scientiæ boni & mali dicta, eaqve proprie tali.* Prob. *prius* de incredulitate (1) ex clarissima Scripturæ litera *Gen. III,1.* collat. cum *v. 6. qvum ergo videretur mulieri bonum esse.* Hic erat ille incredulitatis motus, de qvo plura in Systematibus vide. (2) idem etiam colligere est ex *Rom. V, 19. Posterius* prob. (1.) à clarissima Scripturæ litera *Gen. III, 6.* à qva non recedimus, cum plane nulla nos cogat necessitas, & alias hac ratione facile tota Scriptura S. in allegorias, tandemqve in meras converteretur fabulas. (2.) Ab expressa Legis latione *Gen. II, 17.* qvæ itidem nonnisi proprie intelligi poterit, uti omnes aliæ arduæ leges, & qvas Legislator stricte servandas vult, interpretandæ sunt. (3.) Qvia arbor scientiæ boni & mali expresse ab ipso Adamo distinguitur, adeoqve non fuit ipse Adamus, ut *Beverlandus* vult. Qvo accedit (4.) qvod & ipse Adamus dicatur comedisse de hac arbore. Qvod si nunc hæc arbor ipse Adamus fuisset, seqveretur, Adamum de seipso comedisse, aut secum

ipso

ipso concubitum exercuisse. Qvæ absurda omnia. Dicimus (III.) *Hinc Adamus nec stuprum nec incestum cum Eva commisit.* Prob. (1.) qvia ab ipso DEO Eva ut legitima sponsa Adamo erat adducta & sociata *Gen. I, 28. c. II, 22. 24.* sic neqve stuprum, neqve incestus committi potuit. (2.) Qvia nec ob stuprum nec ob incestum; sed ob comestionem de arbore vetita Protoplasti pœnas luerunt *Gen. III, 17.*

§. III. Ab *Helmontio Objic. (I)* Adamum cum Eva ad arbusta secessisse. *Resp.* (1) At vero id factum non ad peccatum committendum; sed peccato jam commisso. (2) tota qvoqve Historia lapsus testatur abscondidisse sese Protoplastos non ut libidinem exercerent, sed ut servilem illum timorum DEI proderent, vid. *Gen. III, 10. Objic. (II)* Evam habuisse cognationem cum sagvine Adami. *Resp.* Cognatio hæc fuit non ex generatione; sed ex creatione, qvæ cum à DEO fuerit, istiusmodi impuri & impii conceptus merito hic exulare debent. *A Beverlando Objic. (I)* Protoplastos ea parte, qva scilicet peccarunt, se obvelasse frondibus. *Resp.* (1) Si hæc obvelatio proprie intelligenda est, omnino & tota illa historia, sicqve comestio qvoqve de arbore vetita proprie intelligenda erit. Atqve hinc (2) patet, obvelationem illam ortam esse ob turpitudinem ex peccato commisso ortam, & qvidem non in una saltem parte; sed in intergro Corpore, ut totus Contextus satis ostendit. Qvemadmodum & DEUS confectis illis â se tunicis non unicam saltem partem; sed integrum corpus Protoplastorum vestivit. *Objic. (II)* Mulieri partum dolorosum fuisse dictitatum propter peccatum primum. *Resp.* Non valet Consequentia. Nam Adamo dictitata fuit laboris & sudoris molestia. Ex qvo tamen non seqvitur: Ergo primum ejus peccatum fuit pigritia. Sed potius ipse DEus procul dubio respexit ad primaria hominum officia. Et qvemadmodum nunc Mariti primarium officium est familiam alere: ita uxoris parere: Propterea jam pœna hæc in relatione ad officia hæcce videtur esse imposita. Aut si qva forte alia Sapientissimi Numinis fuerit causa, qvam investigare ubivis non datur. *Objic. (III)* Intelligentiam carnis esse mortem, & inimicitiam adversus DEum *Rom. VIII, 6.* carnem concupiscere adversus Spiritum *Gal. V, 17.* adeo ut natura omnes homines privatim atqve publice proni ad libidinis voluptatem, & à castitate abalienati. *Resp.* (1) per *carnem*

in Scriptura S. non sola pronitas ad libidinem intelligitur, cum alias saltem una daretur concupiscentia actualis, nempe voluptas libidinosa. At vero plures dari satis videre est ex *Gal. V, 24. & 1. Joh. II, 16.* Unde etiam varia carnis opera *Gal. V, 19. sqq.* indicio per carnem non tantum, aut primo intelligi libidinem. (2) Pronitas ad vindictam, ambitionem æqve est in homine, & interdum citius ac magis se prodit qvam libido (3) pronitatem ad libidinem adeo universalem esse, ut *Beverlandus* qvidem vult, falsum est, cum nihilominus qvidam dentur, qvi habent donum continentiæ *Matth. XIX, 11. 1. Cor. VII, 7. 8.* qvemadmodum & qvotidiana adhuc testatur experientia. *Objic. (IV)* Vocabula arboris, pomorum, & comestionis sæpius apud alios auctores occurrere de libidinoso actu. *Resp.* à stylo *spurcissimorum* passim ac *Fescenninorum auctorum*, ad qvos *Beverlandus* potissimum provocat, ad sanctissimum Spiritus S. stylum N. V. C. *Objic. (V)* Davidem *Ps. LI, 7.* testari de conceptione sua in peccato, sicqve respicere ad primam pravæ cupiditatis originem, ipsumqve coëundi pruritum dicere esse peccatum. *Resp.* Non Parentum concubitus, aut opus generationis hic intelligitur, licet enim pruritus libidinosus in qvampluribus utiqve sit peccatum, concubitus tamen in se spectatus ita accusari neqvit, cum alias ipsum Conjugium foret peccatum, nec salva cum conscientia Apostolus concubitum legitimorum conjugum probare, & ad eundem adhortari potuisset *1. Cor. VII, 3. 4. 5.* Sed potius in hoc loco Psalmi denotatur originalis naturæ hominis corruptio. Præfixum ב *in* בעון respicit non concipientem matrem: Sed conceptam sobolem, qvæ *in* vel potius *cum peccato* formatur. Ut sensus sit: *Cum Massa embryonis in primo ardore conceptionis primum inciperet uteri calore foveri, jam erat peccato contaminata*, qvæ contaminatio habebat veram rationem peccati. Conf. *B. Dn. D. Geier. in Commentar. in Psalmos in h. l. p. m. 921. seq.* ibiqve citatos. Qvâ ratione ex hoc dicto Beverlandus plane nihil probat. *Objic. (VI)* Circumcisionem præputii non sine causa fuisse præceptam, indicio hac ipsa corporis parte primum peccatum fuisse commissum. *Resp.* Circumcisio non in memoriamadmissi primi peccati pudendi; sed in sigillum fœderis fuit facta, respiciens Messiam ex hac ipsa gente circumcisa oriundo. Et qvî per circumcisionem

Populus

Populus Hebræus à reliqvis gentibus discerni potuisset? Si circumcisio signum fuisset primi hujus pudendi peccati, ad qvod omnes homines, excepto nullo Populo juxta *Beverlandum* sunt proni?

Qv. III.

NUM EVÆ PECCATUM NON TAM GRAVE FUERIT, QVAM ADAMI, ET PROPTEREA CONDITIO EJUS POST LAPSUM FUERIT MELIOR?

§. I.

EST hoc dogma auctoris alicujus *anonymi Sociniani* qvi *Ann. 1700. Amstelod.* edidit *Cogitationes novas de primo & secundo Adamo s. de ratione salutis per illum amissæ, per hunc recuperatæ Compendium.* Ubi §. 24. 33. 34. 35. 36. 38. 39. 40. & 45. docet, Peccasse Adamum gravissime, non ex ignorantia; sed voluntarie. Evæ longe minus fuisse delictum, nempe ex ignorantia, licet vincibili commissum. Hinc & pœnam Evæ longe minorem inflictam, qvam Adamo. Præter subjectionem enim tantum partum cum dolore injungi, cui non ita sæpe nec per totam vitam obnoxia fuerit, uti Adam miserias suas ad finem usqve vitæ sustinere debebat. Inde & manssisse Evæ aliqvam prætensionem pariendi liberos ad vitam æternam. Cum vero Eva ipsa per se liberos habere non posset absqve viro, necesse fuisse, DEUM Adamo, qvi alioqvin vi immutabilis decreti eodem die in æternum moriturus fuisset vitam prolongare, qvia illi vita sine læsione Evæ, cui liberi debebantur, auferri non potuerit. Hinc & Adamum uxorem suam post lapsum demum vitam vocasse, nimirum respectu sui & liberorum, qvatenus in vitam nascuntur temporalem. Adamum qvoqve solum è Paradiso ejectum fuisse, & prope eum habitasse, ut Eva è Paradiso non ejecta frui posset, qvæ ad virum suum è Paradiso exire, qvotiescunqve opus erat debuerit, & in Paradisum iterum redire potuerit, Adamo ad laborem & sudorem suum redeunte, liberos autem Adamum non ad vitam; sed ad mortem genuisse. Hinc mortem etiam per unum hominem in mundum ingressam dici. Qvatenus vero Genus humanum ex Eva

procedit, ſemenqve mulieris eſt, ſpem aliqvam aut Jus ad vitam æternam retinuiſſe; ſed ita ut propter inæqvalitatem peccati Protoplaſtorum magis fuerit ſub Jure mortis reſpectu Adami, qvam in Jure vitæ reſpectu Evæ minoris delicti. Atqve ideo Jus mortis æternæ reſpectu Adami ſtatim veniſſe in homines, Jus ad vitam reſpectu miſericordiæ Evæ oblatæ diu expectandum fuiſſe &c. Auctorem huncce perqvam ſolidiſſime refutavit Celeberrimus hodie *Lipſienſium Theologus Magnif. Dn. D. Jo. Schmidius in ſtricturis Libelli, cui titulus: Cogitation. novar. de primo & ſecund. Adam. &c. Compend. Lipſiæ Ann. 1702.* publice ventilat. *part. 1. §. 15. ſqq.*

§. II. Præſupponimus nos (1.) non tam hac vice ſermonem eſſe de reſpectu qvodam ad vires, qvas Adamus forte præ Eva habuerit; ſed de peccato commiſſo in ſe ſpectato, & prout Adverſarius illud deſcripſit. (2.) Non qværi: annon forte in *genere* comparatio hic qvædam inſtitui poſſit? qvemadmodum forte legitur ap. *Thom. 2. 2. q. 163. art. 4. ſi conſideremus conditionem perſonæ, peccatum viri erat gravius, qvantum ad genus peccati utriusqve peccatum eſt æqvale ſcil. ſuperbia, qvantum ad ſpeciem ſuperbiæ, gravius peccavit Eva &c.* Qvales comparationes aliæ & ap. reliqvos *Scholaſticos* paſſim reperiuntur. Qvamvis B. *Dn. D. Jo. Gerhardus Loc. de Peccat. Orig. §. 39. Tom. 2. p. m. 129.* qvæſtionem hanc judicet *otioſam & inutilem*, cum ſufficiat ſcire, utriusqve peccatum fuiſſe graviſſimum, ſi vel maxime comparatio illa non inſtituatur; ſed hac vice qværi de comparatione illa in ſenſu præſentis Adverſarii novo in *ſpecie* inſtituenda, & qvoad ſpecialiora illa conſeqventia? (3) non eſſe ſermonem de eo qvod eſt *ex gratia*; ſed *de jure* qvod eſt *ex natura*, qvodqve per naturalem ac carnalem illam generationem eſt. Atqve hinc jam dicimus (I.) *Evæ delictum non fuit longe minus peccato Adami, in ſenſu Adverſarii.* Prob. (1) qvia Eva idem illud præceptum transgreſſa fuit, qvod Adamus, & immediate, & mediate ſimul totam legem transgrediendo. (2) qvia peccatum hoc primum eſt omnium graviſſimum. vid. *B. Calov. in Syſtem. Tom. 5. p. 135. ſq.* aliaqve Syſtemata Noſtratium paſſim. Adeoqve nullum hic *minus* dicendum erit. (3) qvia Eva Adamum ad peccandum induxit. Si ergo non gravius, certe tamen æqve graviter peccavit ac Adamus. Arguo: *Q. alteri cauſa*

trans-

transgressionis est ; ille nisi gravius , certe tamen æqve graviter atqve seductus peccat. Atqvi Eva Adamo causa fuit. &c. E. *Major* prob. ex *Math. XIIX, 6. 7.* *Minor* constat ex *1. Tim. II, 14.* (4) Eva in DEum, Maritum,& posteros, Adam autem in DEum & posteros tantum peccavit. Atqve adeo non minus; sed vel gravius adhuc videtur Eva peccasse; minimum æqve graviter ac Adam. (5) Idem & nonnulli ex Patribus agnoverunt. Placet hic nobis illud *Augustini l. de Gen. ad lit. c. 25. Peccarunt primi parentes impari Sexu ; sed pari fastu.* Dicimus (II) *Nec Evæ lapsæ manst ulla prætensio pariendi liberos ad vitam æternam.* Prob. (1) qvia integra nostra nativitas non saltem qvatenus à Patre, sic & ab Adamo , verum & à matre , sicqve & ab Eva est , dicitur peccaminosa , & natura iræ DEI subjecta. Vide Loca plane emphatica *Job. XV, 14. Ps. LI, 7. Joh. III, 6. Eph. II, 3. &c.* (2) Qvia Eva comedit de arbore vetita *Gen. III, 6.* Sicqve morti illi facta est obnoxia , qvæ comestioni huic erat imposita *Gen. II, 17.* Si vero morti fuit obnoxia , qvî prætensio qvædam pariendi liberos ad vitam æternam , qvam dicto modo penitus amiserat, remanere potuit ? (3) qvia ipse Adversarius fatetur,Evam peccasse. Jam vero omne peccatum , qvocunqve etiam nomine veniat , est *ἀνομία*, *1. Joh. III, 4.* *Ανομία* autem infert corruptionem & immunditiem *Ps. XV, 3. Jes. LXIV, 6. Ezech. XVI, 6.* Qvalis nunc ergo causa talis & effectus , cumqve sic à corrupta & immunda nonnisi corruptus & immundus concipi potest *Job. XIV, 4. cap. XV, 14.* prætensa illa prætensio nulla est. (4) Qvia Eva reapse mortua fuit. Mortalis ergo fuit post lapsum æqve ac Adamus. Et per consequens prætensio hic præ Adamo fuit nulla. Dicimus (III.) *Propter Evam Adamo vita prolongata non fuit.* Prob. (1) Qvia ipsa Eva vitam non retinuit, ut ex modo jam probatis constat , ut & ex pœna Evæ dictitata *Gen. III, 16.* E. nec propter eam vita Adami prolongari potuit. (2) qvia merus homo , qvalis Eva fuit , expiare alium neqvit *Psal. XLIX, 8. 9.* Qvî ergo justissimus DEus propter solam Evam Adamo condonare potuisset ? Dicimus (IV.) *Nec Genus humanum propter Evam jus aliqvod ad vitam æternam retinuit.* Prob. (1) ex argumento modo jam adducto , qvod solus homo genus humanum expiare non potuerit. (2.) Qvia omne jus ad vitam æternam unice debemus

mus Mediatori illi Θεανθρώπῳ Christo scilicet 1. *Tim. II, 5. 1. Joh. II, 2. Jes. LXIII, 3.* Dicimus (V) *Non solus Adamus ejectus fuit Paradiso; sed utique & Eva ejecta unâ fuit.* Prob. (1) qvia Evam in Paradiso mansisse nullibi legitur. (2) qvia eadem ratio qvæ in expellendo Adamo respicebatur *Gen. III, 22.* & in Eva locum habuit, ne scilicet & illa extenderet manum ad arborem vitæ. Qvare & Eva, ut modo jam monitum est mortua fuit, infallibili indicio eam in Paradiso in qva mors locum habere non poterat, non mansisse (3) qvia Paradisus clausus fuit, maximeqve munitus, non ergo probabile, Evam liberum ad eundem habuisse regressum. (4) Qvia Eva æqve graviter peccaverat ac Adam, qvemadmodum ex præcedentibus thesibus jam patet. Vi cujus peccati sui æqve minus in Paradiso manere poterat ac Adam.

§. III. Contra *thesin primam Objicitur (I)* Evam saltem ex ignorantia peccasse, cum Adamus peccaverit voluntarie. *Resp.* Eva neutiqvam ex ignorantia peccavit. Tantæ enim sapientiæ & scientiæ luce erat collustrata, ut utiqve noverit legem à creatore datam, qvemadmodum ex propria Evæ confessione satis videre est *Gen. III, 2. 3.* Hanc legem nunc qvam utiqve noverat, cum sit transgressa, pelliciendo simul maritum, certe non ex ignorantia, sed æqve voluntarie peccavit, ac Adam. *Objic. (II)* Minorem pœnam Evæ fuisse impositam. Præter subjectionem enim partum cum dolore duntaxat injungi, cui non ita sæpe, nec per totam vitam obnoxia fuerit, uti Adamus miserias suas ad finem usqve vitæ suæ sustinere debebat. *Resp.* Si pœnæ Adami & Evæ secum invicem conferantur, Evæ pœna revera tam gravis est, qvam Adami. Nam (a) subjectio illa non minus molesta ac Adami pœna, itidemqve per totam vitam durabat. Qvo & accedit, qvod utiqve & Eva à laboribus non fuerit immunis. (2) partus licet non tam freqvens; *intensive* tamen tam dolorosus fuit, ut juxta Phrasin Scripturæ nullus dolor sit vehementior. Hinc & *Medea* ap. *Euripidem* ter maluit sub armis vitam periculose exponere, qvam semel parere. Contra *thesin secundam & qvartam Objicitur:* Mortem per unum hominem tantum ingressam dici, & non per Evam, adeoqve & Evæ prætensionem illam, humanoqve generi illud jus remansisse. *Resp.* Et homo saltem dicitur creatus:

Faciamus

Faciamus hominem Gen. I, 26. Si nunc ergo per hominem solus intelligatur Adamus, sequeretur Evam non esse creatam, aut non fuisse hominem. Utrumque absurdum (2) sive etiam *Rom. V, 12.* intelligatur Adamus, non sine causa prægnanti id fieret, quippe Apostolus partim Adamum primum & secundum ibi confert: partim de propagatione labis originalis ibi agit, in qva partes potiores Adamo tribui necesse est. Vid. *B. Balth. Meisner. in Consid. Theol. Phot. p. 686. & B. Schmid. in Comment. ad h. l. pag. 387. & 388.* Qvâ ratione autem Eva penitus non excluditur. Contra *thesin tertiam Objic. (I)* Vi immutabilis decreti alioqvin Adamum eodem die moriturum fuisse. *Resp.* Acceptum id Adamus retulit non Evæ, qvæ eandem merita fuerat pœnam, sed intervenienti Filio DEI destinato illi Mediatori inter Deum & hominem. Conf. hic *B. Calov. in Comment. in Genes. p.m. 265. sq.* *Objic.* (II.) Adamum post lapsum demum uxorem suam vocasse *vitam.* *Resp.* Non solum ad Evam hic respexit Adamus, & qvasi sibi propter illam vita prolongata; sed qvemadmodum Commentatores nostri passim observant, erectus Adamus per Protevangelion de semine mulieris, contritione capitis serpentis, fide hæc amplexus est, certusqve proinde fuit, sese à morte æterna liberatum vitæ participem futurum, imo qvod genus suum universum gratiæ hujus, vitæqve particeps etiam fieri possit per fidem in semen mulieris. In μνημόσυνον ergo divinæ gratiæ, & testimonium fidei suæ nomen hoc Evæ mulieri imposuit, celebrans DEI benignitatem, qvod non statim se, & uxorem suam morti æternæ ex merito objecerit; sed in gratiam receperit, qvod semen benedictum promiserit, per qvod vita recuperanda, qvodqve per uxorem suam genus humanum secundum pristinam benedictionem propagari velit, eam matrem effecturus omnium viventium, ut ex iis DEO iterum colligatur Ecclesia, imo ut jam non ad mortem procreatura sit liberos; sed ad vitam. Conf. *B. Calov. l. c. p. 433.* Contra thesin *quintam.* *Objicitur:* De Adamo bis dici, eum Paradiso ejectum, de Eva vero id ne semel qvidem dici. *Resp.* Scriptura S. vocem אִישָׁה non ut nomen *proprium:* sed ut *appellativum* usurpat, *Gen. III, 24.* id qvod ad oculum est ex ה emphatico præfixo. Deinde & res ipsa satis hic loqvitur, ut sociam culpæ sociam exilii qvoqve fuisse credamus. Ex his nunc facile & de reliqvis commentis Scriptoris hujus Sociniani judicari poterit. Disp. XI.

Qv. IV.

NUM POENA LAPSUM ADAMI INSECUTA SALTEM MORS TEMPORARIA FUERIT ?

§. I.

SIc vult *Thomas Hobbeſ. in Leviathan cap. 38.* ubi *p. m. 208. ſq.* ita: *Videtur ergo Adamus, niſi peccaſſet, victurus fuiſſe in terreſtri paradiſo, in æternum. Mortalitatem autem in ſe & poſteros ſuos intraſſe per hoc peccatum ejus primum. Mortalitatem inqvam tunc ſtatim intraſſe, non mortem ipſam. Vixit enim longo poſt tempore, ſuamqve vidit, antequam moreretur, poſteritatem numeroſam. Ubi autem dicitur: in qvocunqve die comederis, ex eo morte morieris, intelligendum eſt non de morte in illo die; ſed de certitudine mortis, i. e. de mortalitate. Quod autem non dicitur ſimpliciter, morieris, ſed morte morieris, ita intelligendum eſt (ut interpretatur Athanaſius) qvando morieris, non reviviſces.* Veſtigia *Hobbeſii* legit auctor tractatus Anglicani ſub titulo: *The Reaſonableneſſ of Chriſtianity.* Qvem auctorem in *Faſciculo noſtro Controv. Exoticar.* aliqvoties vocavimus *Pockium*; ſed ſeducti â *Celeberr. Collectoribus Actor. Er. Lipſ.* qvi *Anno 1696. p. m. 463.* ſic, procul dubio ex vitio qvodam typographico, habent, verum tamen nomen eſt *Lockii.* Auctor hic *l. c. p. m. 3. ſqq.* docet, ſtatum illum, ex qvo excidit communis ille generis humani parens, non alium fuiſſe, qvam ſtatum perfectæ obedientiæ, pœnam autem lapſum inſecutam mortem ſaltem temporalem fuiſſe; atqve hinc ſtatim poſt lapſum corpus Adami cœpiſſe marceſcere. Contra hic vide *Tho. Teniſon in the Creed of Mr. Hobbes examined p. m. 252. ſq.*

§. II. Prænotamus nos (1) non qværi: an *mors temporalis* etiam lapſum ſit inſecuta, utpote qvod lubenter concedimus: ſed an *mors temporalis tantum* hic intelligatur, qvando mors dicitur pœna peccati Adamitici? (2) Sermonem eſſe de *morte temporali* & ratione *corporis*, & ratione animæ, ejusqve totali interitu. Qvibus prænotatis dicimus (I) *Mors non ſaltem temporalis; ſed & æterna eaqve qvidem potiſſimum & primo peccatum Adami inſecuta fuit.*

Prob.

Prob. (1) qvia mors, qvæ lapſum Adami inſecuta expreſſe opponitur vitæ æternæ *Rom. VI, 23.* æterna ergo potiſſimum intelligenda erit. (2) qvia uti gratia dicitur regnare per Chriſtum ad vitam æternam, ita peccatum dicitur regnare ad mortem *Rom. V, 21.* E. utiqve etiam mors æterna hic intelligenda erit. (3) qvia Chriſtus a morte æterna expreſſe dicitur nos liberaſſe *Hoſ. XIII, 14. I. Cor. XV, 54. ſqq.* qvare & dicitur habere claves mortis ac inferni *Apoc. I, 18.* E. mors æterna pœna fuit lapſum Adami inſecuta. Dicimus (II) *mors temporalis ratione animæ lapſum Adami non fuit inſecuta.* Vide qvæ jam ſupra pro immortalitate animæ diſputavimus.

§. III. *Objic.* (*I.*) Statum integritatis fuiſſe qvoqve ſtatum immortalitatis. *Reſp.* ſed non tantum ad hanc vitam, qvin potius potiſſimum ad vitam æternam cœleſtem ac glorioſam, ad qvam procul dubio etiam primus homo, ſi non peccaſſet, translatus fuiſſet. *Objic.* (*II.*) mortem dici introiiſſe per unum hominem *Rom. V, 12.* & in Adamo omnes mori *I. Cor. XV. 22. Reſp.* Sed qvomodo non tantum mors temporalis; ſed & æterna, in qva anima non pereat, intelligatur, ex jam dictis conſtat.

Qv. V.

NUM MALUM CUM SAPIENTIA BONITATE & POTENTIA DEI CONCILIARI POSSIT, ITA QVOqꝫ, UT OMNE NECESSARIO EX IIS ORIRI, STATUENDUM SIT?

§. I.

MAlum cum ſapientia ac bonitate DEI unius conciliari poſſe ex recentioribus negavit *Petrus Bayle*, ita qvidem, ut alterum qvendam DEum, malum ſcilicet, cum *Manichæis* ſtatuere viſus ſit, à qvo omne malum derivandum ſit. Initio problematice doctrinam hancce propoſuit, ſtatuens nimirum, ex ſana ratione Manichæorum dogma refutari non poſſe, imo rectam ſanamqve rationem duplex hoc boni malive principium urgere. At vero deinceps contra Adverſarios ſuos cauſam ſuam ita egit, ut ferme idem cum Manichæis, & qvidem ſerio ſentire viſus fuerit.

Sententiam ſuam Dn. Bayle propoſuit primum in *Dictionar. Hiſtor. Crit. Tom. 2. p. 2023. 2026. 2039.* & alibi ſub *Abbatis* & *Pauliciani* nomine. Oppoſuit ſe autem *Baylio Clericus Tom. 1. Parrhaſian. pag. 302. ſqq.* Cui reſpondit *Bayle Tom. 3. p. 2259. ſq.* *Clericus* autem reſpondit in *Biblioth. Choiſ. Tom. 7. p. 331. ſq. Tom. 9. p. 103. ſqq.* & *Tom. 10. p. 364. ſq.* *Bayle* vero *Clerico* reſpondere ſemper conatur in *Reſponſion. ad qvæſtion. provincial. Tom. 3. & 4.* Præter *Clericum Bælium* adhuc refutarunt *Iſaac Jacquelot* in libro *gallice Amſtelod. Ann. 1705.* edito ſub titulo: *Conformitas rationis & fidei, ſive religio adverſus præcipuas Pet. Bælii* in *Dictionar. Hiſtor. Crit.* Objectiones, & *Anonymus* qvidam, qvi dicitur eſſe Dn. *Petr. Jurieu* in ſcripto *Amſtelod. Anno 1706. gallice* edito, qvi vocatur *Philoſophus Roterodamenſis accuſatus & convictus.* Vide ulterius controverſiam hanc recenſitam ab *Excellentiſſ. Dn. Profeſſ. Jo. Chriſtoph. Wolfio in nitidiſſimo conſummatiſſimoq; qvodam ſcripto, quod Hamb. An. 1707.* prodiit ſub rubro: *Manichæiſmus ante Manichæos & in Chriſtianiſm. redivivus, ſect. 3. n. 8. ſqq. p. m. 329. ſqq.* Alio adhuc modo recentiſſime in Anglia procedere voluit Dn. *Gvilielm King, Epiſcopus Derenſis*, qvi *Anno 1702. Londini* edidit ſcriptum *de Origine mali.* Qvod ſcriptum *Bremæ Anno* 1704. eſt recuſum. Qvo in libro *Dn. Auctor* prolixius inqvirit in originem mali, idqve cum ſapientia bonitate & potentia DEI conciliare ſtudet. *Cap. 2. n. 2. p. m. 36.* omne malum dicit triplicis eſſe generis, nempe *imperfectionis, naturale & morale.* Per *malum imperfectionis* intelligit abſentiam perfectionum aut commodorum, qvæ alibi, aut aliis rebus adſunt. Per *malum naturale* intelligit dolores, moleſtias, incommoda, & appetituum fruſtrationes à motibus naturalibus orta. Per *malum autem morale* intelligit pravas electiones, ſcilicet nobis aut aliis noxias. Et *num. 9. p. m. 40.* dicit: *ſi poſſemus rationem exhibere, quomodo hæc mala cum regimine agentis abſolute perfecti concilientur, & non ſolum ſapientiæ, bonitati & potentiæ infinitis congruere; ſed & ex iis neceſſario oriri (ita ut illa infinita non fuiſſent, ſi hæc non eſſent aut eſſe potuiſſent:) tum demum Originem malorum veram nos inveniſſe cenſendos eſſe.* Hinc jam periculum facit, huncqve in finem *cap. 3. & 4.* de *malo imperfe-*

perfectionis & naturali docet, ea qvam maxime bonitati & potentiæ divinæ convenire, eaqve necessario debuisse fuisse in mundo nec potuisse DEum licet infinite bonum & potentem res ab adhærentibus imperfectionis malis separare. *Malum* vero *morale* qvod concernit, de illo docet *cap. 5. Sect. 5. subsect. 1. & sqq. p. m. 151. sqq.* illud qvidem tam necessarium non esse, nec excusari ita posse, ut *malum imperfectionis & naturale*; cum non sit ab imperfectione naturæ; sed ab electione libera; attamen DEum illud tolerare debere *necessario*, ut nimirum ê malis necessariis minimum eligatur, cum sublato, aut coërcito libertatis usu necessario majora mala, qvam ex ejus abusu permisso oriunda. *Bælium* præter jam citatos perqvam solidissime qvoqve refutavit *Excellentiss. Dn. Wolfius l. c. Sect. 3.* Ubi & simul *Kingium* notavit; qvod & fecerunt Celeberrimi Dnn. *Auctores* der Unsch. Nachrichten *Ao. 1704. p. m. 345. sqq.* Contra *Bælium* adhuc vide *Magnif. Dn. D. Val. Ernest. Læscher. in Prænotion. Theolog. p. m. 39. seq.*

§. II. Varia qvidem hic concurunt; nos autem brevitati qvi vi instituti nostri studemus, prænotamus (1) Sermonem esse de *malo omni*. *Kingius* l. c. id distingvit in *malum imperfectionis*, *naturale & morale*. Qvæ distinctio qvidem in sensu *latiori* admitti posset. At vero si terminum *mali* in aliqvantulum *famosiori* significatu sumatur, imprimis *malum* illud *imperfectionis*, prouti *Kingius* qvidem id descripsit, non adeo accurate sub hac notione videtur occurrere posse. Nam si omne id, qvod tam *absolute perfectum* creari non potuit, ut DEus ipse est, *malum* dicendum foret, seqveretur omnes creaturas esse malas, malasqve creatas esse. Qvod autem est & contra stylum Scripturæ *Gen. I, 31.* & contra Stylum Philosophorum, qvo *omne ens* dicitur *bonum*. Eqvidem *Job. IV, 18.* in comparatione ad DEum nobilissimæ qvoqve creaturæ cedere penitus dicuntur. At vero initio locus hic plane est controversissimus, vid. *B. Seb. Schmidt in Comment. in h. l.* Deinde & qvocunqve etiam explicetur modo ne sic tamen evincetur, imperfectiones illas, de qvibus *Kingius* qvidem loqvitur, posse dici *mala*. Qvæ alias *bona* qvædam forent *mala*, qvod autem σιδηρόξυλον. Mallemus ergo mala hæc dicere *imperfectiones*, & qvidem non *privativas*, qvæ spectant ad *mala naturalia*, ut *Kingius* vocavit; sed *negativas*, qvæ dicunt carentiam perfectionis, qvæ per naturam

turam ineſſe non debet, qvemadmodum creatura poteſt dici imperfecta, qvia non eſt æterna & omnipotens & DEus, ſic & lapis dicitur imperfectus, qvod non poſſit loqvi ſicut homo. Qvæ autem imperfectio non eſt proprie imperfectio, verum potius determinata perfectio. Confer B. *Dn. D. Calov. in Metaphyſ. div. p. m. 297.* & B. noſtri Parentis *D. Zach. Grapii Diſp. de perfectione heic Roſtochii Ann. 1673.* hab. *Sect. prior*, §. 7. *Mala* autem *naturalia & moralia* eo commodius huc referuntur. Qvamvis & *illa Dn. Kingius* non ubivis accurate ſatis explicet. Noſtrates alias *malum naturale* vocare ſolent id, qvod infert carentiam perfectionis accidentalis, qvæ per naturam ſubjecto convenire debebat, ſeu privationem alicujus boni naturalis, ut claudicatio, morbus, mors. Qvo ſic etiam ſpectant *mala* qvædam *triſtia & pœnæ.* Vid. *B. Qvenſtedt in Syſtem. part. 1. Loc. de Providen. Sect. 1. th. 29. p. m. 535.* (2) Sermonem eſſe de conciliatione qvâdam mali cum DEO, ejusqve bonitate, non *negativa pure tali*, qva *malum* ſpeciatim *morale* ita conciliatur, ut DEus ejus cauſa nullo modo ſtatuatur; ſed unice malitiæ Diaboli & pravitati hominum adſcribatur absqve ulteriori refugio ad principium aliqvod aliud, vel DEum aliqvem malum; Sed de *conciliatione negativa ſecundum qvid*, qvâ ita conciliatur, ut qvidem DEus bonus ejus cauſa eſſe negetur: Sed ſimul etiam aliqvis alius DEus, & qvidem malus, ceu principium mali ſtatuatur. (3) Sermonem eſſe non ſaltem de *conciliatione* qvadam *negativa ſecundum* qvid ſic dicta *Bæliana*; ſed & *poſitiva* qvadam *Kingiana*, qva omne malum *neceſſario* ex Sapientia, bonitate & potentia divina deducitur. (4) Sermonem eſſe de *neceſſitate* non tam *ſimplici*, qvam *hypothetica* ex hypotheſi, ut qvidem *Kingius* vult, declarandæ divinæ bonitatis Sapientiæ ac potentiæ. Qvibus prænotatis Dicimus (1) Ad *liberandum DEum à cauſalitate mali moralis ſeu peccati non neceſſe eſt fingere principium aliqvod aliud infinitum, ſeu DEum aliqvem malum.* Prob. (1) à clariſſima Scripturæ litera, qvæ peccatum tribuit non DEO cuidam malo, ſed primo Diabolo, qvi initio bonus erat creatus; Sed in veritate non ſtetit; primusqve peccavit *Joh. VIII, 44. 1. Joh. III, 8.* A qvo ſic omne malum primum ſuum habet ortum: deinde & peccatum tribuitur à Diabolo ſeductæ corruptæqve naturæ humanæ *Jacob. I, 14. ſqq.* Neqve tamen

men DEus ut otiosus rerum spectator hic habendus; sed concurrit, licet non in malum ipsum *influendo*, tamen (a) *prævidendo*, seu ratione præscientiæ, qvâ malum ab æterno prævidit (b) *permittendo*, qvatenus non vi retrahit à peccato: Sed permittit id fieri, neqve tamen & hæc permissio *mere* est *otiosa*, occurrit enim simul tum peccati ceu mali sibiqve displicentis *præsentatio*, qvam notitiam etiam naturæ impressit: tum *prohibitio* lege divina facta; tum *comminatio* qvâ revocatur à peccato, imo etiam *cohibitio*, qvia sæpe cohibet DEus, aut impedit, ne hoc vel illud malum, qvod in intentione est committatur (c) *ordinando* ad finem bonum. vid. *B. Gerh. Loc. de Provid. §. 86. sqq. & B. Calov. in System. Tom. 5. p. 48.* (2) Idem etiam rationi non est adversum: Licet eqvidem regula & norma adæqvata cognoscendi in omnibus peccatum, universamqve ejus naturam ac originem non sit lex naturæ aut sana ratio. vid *B. Qvensted. in System. Loc. de peccato Sect. 2. qv. 1.* id tamen nihilominus recta sanaqve ratio jam judicat, in investiganda origine mali, qvamvis ea *qvoad omnia apodictice* qvidem ex suis principiis non constet, attamen ad alterum id absurdum non esse refugiendum, fingendo scilicet principium aliqvod DEO coæternum, seu DEum aliqvem malum. Repugnat enim id qvam maxime Unitati summi optimiqve DEI, item infinitati, independentiæ, omnipotentiæ ac felicitati summæ ejusdem, prouti etiam ex lumine naturæ summum hoc Numen sic cognoscitur. Qvæ omnia more suo perqvam solidissime ac doctissime deducit *Excellentiss. Dn. Prof. Wolfius l. c. Sect. 3. §. 1. sqq.* Dicimus (II) *Imperfectiones negativæ utiqve stare possunt cum bonitate ac Sapientia divina.* Probatur (1) Qvia si dentur perfectiones absolute tales præter DEum, qvasqve DEus alii subjecto concreare potuisset, seqveretur, DEum adhuc alium DEum sibi coæternum & coinfinitum creare potuisse. At vero hæc sunt contradictoria, ad qvæ potentiam DEI se non extendere novimus, cum alias revera DEus mutaretur, & ex perfectissimo foret imperfectissimus. Talem autem DEum statuere foret non DEum statuere. Necessario ergo imperfectiones hæ admittendæ erunt, salva nihilominus manente DEI bonitate Sapientia & potentia. Qvæ attributa contra potius periclitarentur, si contrarium qvis velit statuere, aut prætendere à DEO. (2) Qvia imperfectiones hæ revera sunt

perfe-

perfectiones, in suo scilicet genere, vi clarissimæ Scripturæ literæ *Gen. I, 31.* Utiqve ergo cum bonitate DEI conciliantur. Dicimus (III) *Mala naturalia, absolute spectata bene satis explicari possunt, ut non necesse sit ad DEum aliqvem malum, ceu principium eorundem refugere.* Prob. (1) ab ipsa malorum horum natura. Sic namqve in his malis absolute sic spectatis duo occurrunt, partim *actus entitas*, partim *vitium*. Ad *entitatem actus* concurrit DEus *effective*, eam comproducendo, ad *vitium* vero *actus* (qvod cum actu non magis confundi debet, qvam lepra cum corpore, aut macula cum pariete) DEus concurrit *permissive*, h. e. causam particularem in agendo deficientem non impediendo v. gr. qvando defectus in homine recens nato reperitur, illius defectus causa non est DEus, per cujus concursum potuisset homo perfectus produci; sed homo ceu causa particularis in agendo deficiens. Interim libere permittit DEus, ac sinit creaturam ab ordine suo ita deflectere ac deficere, & physice non impedit. Ecqvid hic opus ad aliud qvoddam principium absurde nimis dilabi? (2) Qvia in naturalibus utiqve & creaturas agere statuendum est, cum alias non creatura; sed principium illud à qvo in actionibus suis dependet, solitarie ageret, qvod autem absurdum. Qvare ergo in individuationibus actuum ad aliud principium recurrere volumus? Dicimus (IV) *Mala naturalia, qvatenus speciatim sunt qvoqve mala pœna cum bonitate Sapientiaqve DEI qvam optime stare possunt.* Prob. (1) Qvia DEus uti bonus, ita etiam justus est, & qvemadmodum remunerator boni, ita & vindex mali est. Qvemadmodum nunc ergo Justitia in DEO potest stare cum ejusdem bonitate, ita & mala pœnæ. (2) Qvia malum pœnæ proprie & accurate loqvendo non est malum, etsi sit à DEO, tamen ejus causa prima & originaria non est in DEO; sed in nobis ipsis. Imo & in pœnis ipsis DEI bonitas elucet. Prolixe & egregrie id deducit *B. Dn. D. Joh. Gerhardus Loc. de Provid. §. 109. sq. Tom. 2. p. m. 29. sq.* Dicimus (V) *Mala naturalia & moralia non ita necessario oriuntur ex Sapientia, bonitate ac potentia DEI, ut hæc infinita non fuissent, si illa non essent, aut esse potuissent.* Qvod *mala naturalia* concernit. Prob. (1) Qvia expresse DEus dicitur condidisse omnia valde bona *Gen. I, 31.* Jam vero *bonum* est, *qvod habet essentiam sibi convenientem.* Ergo *imperfectio*, & qvidem *privativa*

hic

hic in se & *necessario* locum non habuit; sed *contingenter* demum insecuta est ob defectum naturæ agentis passim ob maledictam naturam propter peccatum hominis. (2) Qvia qvam maxime hæc hypothesis pugnat cum statu integritatis. Si enim *necessario* in mundo debuerunt esse *mala naturalia*, necessario & in statu integritatis debuerunt fuisse monstra, labor, sudor, venena noxia, morbi & mors. Qvæ tamen absurda omnia. Cum hæc mala sint pœnæ peccati, & peccatum demum insecuta *Gen. III, 16. sqq. Excipit Kingius l. c. cap. 4. Sect. 3. n. 4. p. m. 60.* primos parentes nostros naturaliter mortales fuisse, ex gratia vero & fœdere peculiari DEum pepigisse cum eis æternitatem. At vero *hypothesis* hæc est neqvaqvam in Ecclesia Orthodoxa toleranda. Contrarium vide in systematibus nostris passim evictum. (2) Pugnat hæc necessitas qvoqve cum statu futuræ reparationis: Si enim hæc mala sunt absolute necessaria ex attributis divinis sic fluentia, ut illa infinita esse neqveant, necessario & in altera adhuc vita glorioſa erunt fames, sitis, generatio corruptio, molestiæ morbi & ipsa mors. Qvæ tamen sunt contra expressam Scripturæ literam *1. Cor. XV, 42. sqq. Apoc. XXI, 4.* &c. Ratio ubi hæret, ne ultra suam Sphæram progrediatur, ne deviet, & revelationi contradicat. Qva ratione non amplius recta sanaqve manet. *Mala* autem *moralia* qvod attinet, nec illa ita necessaria esse, nec DEum ita necessario ea permittere, ut è duobus malis eligat pro sapientia sua minus, prob. (1) qvia id nullibi Scriptura S. innuit. (2) Qvia DEus potius propterea permittit peccata, non ut necessario è duobus malis eligat minus; sed qvia illud impedire non tenetur, cum homo vires à DEO datas tam proterve perdiderit, qvas retinere, beneqve applicare potuisset, ut Angeli boni jam in bono confirmati. (3) Qvia alias revera qvoqve *mala moralia* erunt *necessaria*. Qvæ est ipsissima Calvinianorum hypothesis, novis saltem qvibusdam coloribus expolita. Qvam necessitatem enim *Maccovius* aliiqve qvondam ex manifestatione divinæ gloriæ, justitiæ ac misericordiæ deduxerunt, eandem *Dn. Kingius* ex aliis saltem DEI attributis elicere conatur. Repetantur ergo hic ea, quæ alias Theologi contra Reformatos urgere solent. Vid. *B. Calov. in System. Tom. 5. pag. 60. sqq.* (4) Si malum respectu DEI ita necessarium, ut qvemadmodum *King.*

l. c. cap. 5. sect. 5. subsect. 7. n. 1. p. m. 190. dicit, *toleret aut hoc, aut majus*, seqvitur omnino, DEum eligendo etiam malum minimum in ipsum illud malum influere volendo. Atqve sic volente DEO omne fiet malum, qvod est contra sanctitatem DEI, & contra clarissimam Scripturæ S. literam, juxta qvam DEus malum morale plane nullo modo vult, nec eligit *Ps. V, 5. &c.* (5) qvia hâc ratione alias omnis lex divina tam connata, qvam revelata fuit frustranea,

§. III. Dn. *Bayle Objic. (1.)* Licet ex Scriptura qvidem contrarium evinci possit, rectam, sanamqve rationem tamen aliter argumentari. *Resp. (1.)* Rectam sanamqve rationem in nonnullis, imprimis, qvod unitatem DEI concernit ita argumentari, ut qvidem *Bayle* vult, negamus, & pernegamus. (2) in aliis autem, sic & qvod originem mali in qvamplurimis concernit, præsertim *mali moralis*, Recta sanaqve ratio utiqve deprehendit, occurrere, qvæ judicium suum superent, hincqve merito nimiam suam curiositatem in inqvirendo cohibere debet. Novit recta sanaqve ratio DEum esse, & infinitum eum, independentem, æternum, ac incomprehensibilem esse, novit, qvomodo ergo omnes modos agendi in DEO scrutari sibi arrogabit? hincqve etiam plane impossibile est, ut ratio sibi relicta in omnibus *apodictice* determinare possit, qvomodo DEus sese habeat circa mala. Sufficit, qvod sciat, DEum ceu ens bonum & justum non esse causam mali, licet nunc modum in omnibus determinare neqveat, qvomodo DEus se habeat circa malum, & undenam illud primitus sit ortum, imprimis cum de lapsu Diaboli primorumqve parentum apodictice nihil sciat ratio: Qvemadmodum nunc ratio in qvam plurimis aliis, etiam naturalibus, in qvibus rationes certas dare neqvit, potius tacet, qvam rationes aut dubias & incertas, aut vel plane contra rationem frustra inqvirit: ita multo magis in re tam ardua, qvæ malum concernit, id agere debet. (3) Recta sanaq; ratio nunqvam Scripturæ sanæqve Theologiæ contradicere debet. Inprimis etiam cum *Dn. Bayle* ut Christianus lumen qvoqve revelatum habuerit, male egit, qvod contra illud rationis argumenta evehat & defendat, rationemqve revera non rectam nec sanam ex hoc lumine revelato non corrigat, cum aperte videat, citra revelationem ad devia declinare rationem, præsertim cum, ut jam supra monuimus, eandem ut adæqvatam normam

mam & regulam in præsenti negotio, ubi de peccato agimus, non habeamus. *Objic. (II)* Idealem DEI bonitatem infinitam qvoqve in creaturis apparere debere, adeoqve eam non pati, ut ullam creaturam imperfectioni, qvæ infelicitatis sit mater, subjecerit, ad alium ergo DEum seu pincipium à qvo malum sit, refugiendum esse. *Resp.* Primarium qvidem hoc est *Bælii* argumentum, at vero non tanti ponderis. Habet qvidem ratio de DEO *ideam bonitatis*; sed & *ideam ustitiæ* habet, per qvam DEus qvoqve vindex mali est, *Malum* ergo *pœnæ* hic facile conciliabit ratio. Qvod vero *malum morale culpæqve* concernit, & illius existentia non statim tollit *ideam bonitatis* DEI, ut ad alium qvendam DEum refugere debeam. Novit enim ratio, actiones hominis esse liberas, legem autem præterea à DEO naturæ esse inditam, ad bonas actiones qvasvis obligantem, & à malis qvibusvis retrahentem. Cum jam vero nihilominus actiones malæ dentur, utiqve jam videt ratio, eas DEO non esse adscribendas; sed neqve statim alii cuidam DEO malo esse tribuendas, cum ipsius hominis pravæqve ejus naturæ sint. Qvod si vero jam ulterius velit progredi ratio, & qværere, undenam ergo hæc depravatio in homine, si à DEO non sit? subsistere hic debet & respondere; non liqvet, cum sint supra rationem, vi eorum qvæ jam in præcedentis argumenti solutione diximus. Hæc prima enim origo mali depravatæqve naturæ unice ex lumine revelato constat. Ultra qvod si sapere ratio velit, non amplius sana rectaqve manet; sed nimis curiosa fit ac audax. Conf. ex recentior. *Magnif. Dn. D. Förtsch. in diss. de Peccat. Orig. qv. 2.* Reliqva quæ de hoc argumento adhuc afferri possent, sufficientissime optimeqve exposuit Dn. Profess. *Wolfius l. c. §. 16. sqq. p. 370. sqq.*

§. IV. *Dn. King. Objic. (I)* Mala naturalia esse à rebus inseparabilia, adeoqve absolute necessaria. *Resp.* Si *mala naturalia* in genuino suo significatu sumantur pro vitiis naturæ bene alias à Creatore conditæ, negamus *Kingii* assertum. Contrarium constat ex iis, qnæ modo jam in thesi diximus. *Objic. (III)* Ex coercito libero arbitrio omnino majora fluere mala, necessario ergo DEum minus debuisse eligere, sicqve malum morale permittere, necessario enim DEum creare debuisse hominem cum libero arbitrio. *Resp.*

Juxta Theologos nostros *libertas arbitrii* vel notat ἕξιν ipsam *internam, liberumque agendi principium*, seu *voluntatem*, quæ indifferens est & libera, vel ἐνέργειαν & *facultatem voluntati superadditam, quâ ad bonum promte inclinatur, & quod elegit, facile exequitur. Priori modo* necessarium fuit ut homo conderetur cum libero arbitrio, quia non potest esse voluntas humana, nisi libera sit. Inde autem non sequitur, quod peccatum sive malum morale DEus necessario permittere debuerit, & ceu minus malum eligere. Sic namque DEus simul etiam naturalem inclinationem ad bonum concesserat, ut homo æque in bono persistere potuisset, uti nonnulli angeli boni fecerunt, & qui eodem modo erant creati, ut adeo peccatum non necessario in mundum introierit. Nec DEus ullo modo hic potuerit dici influere, quemadmodum revera is influit, qui ex duobus malis unum necessario eligere tenetur. *Posteriori* vero *modo* si *libertas arbitrii* spectetur, ut de eo disquiratur, cur non talis perfectio homini collata, ut libere quidem, sed immutabiliter ad bonum ferretur. Et hoc necessario factum fuisse negatur. Contrarium enim ex confirmatione angelorum bonorum in bono videre est, utpote qui utique libere DEO serviunt; sed ita ut deficere à DEO non possint. E. hujus rei causa in condendo homine non necessitas quædam; sed sola DEI voluntas fuit, quia sic & non aliter placuit, quamvis voluntatis hujus rationes nobis non sint revelatæ, ut adeo libertati & sapientiæ divinæ acquiescendum sit. Quamvis hic nihilominus tamen rationes nonnullas non absurdas Theologi nostri dare soleant Calvinianorum rationibus oppositas. Vid. *B. Calov. in System. Theol. Tom. 4. pag. 707. sq.* Et hæc lumini revelato maxime sunt conformia, quæ si ratio capere nequeat, & hic cœcitatem ac imperfectionem suam agnoscat.

Qv. VI.

NUM DETUR PECCATUM ALIQUOD HÆREDITARIUM?

§. 1.

PEccatum *hæreditarium & originale* negarunt olim *Pelagiani*. Quorum errorem ex orco revocarunt deinceps *Sociniani & Arminiani*

miniani. Vide *B. Calov. in Syſtem. Theol. Tom. 5. pag. 170. ſq.* Ex recentioribus peccatum hoc hæreditarium confictum vocat *Chriſtoph. Sandius in tr. de orig. animæ p. 72. ſqq.* utqve hypotheſin ſuam de præexiſtentia animarum eo magis confirmet, provocat ibidem ad 12. argumenta, qvæ contra peccatum hocce hæreditarium ſcripſerit *Auctor Apoſtaſiæ*, qvem *L. de Brederode* eſſe famam fuiſſe dicit. Qvæ argumenta autem ſolidiſſime ſatis diſcuſſit *B. Dn. D. Bebel. in Exercitat. Theol. adverſus præexiſtent. animar. p. 81. ſqq.*

§. II. Prænotamus nos (1) Sermonem eſſe de lapſu primi hominis non prout præciſe notat *transgreſſionem circa arborem vetitam & formaliter* ipſius individui Adami peccatum eſt, id enim naturaliter hæreditarium non fuit; noſtrumqve fit ſola imputatione: Sed prout connotat *qvod ex illa transgreſſione fluxit, naturæ* ſcilicet *vitium*, qvodqve utiqve hæreditarium eſt, nec ſola imputatione; ſed etiam per carnalem generationem ad poſteros tranſit (2) non qværi: num ex lumine naturali qvid de hoc malo conſtet: Sed ſermonem unice eſſe de lumine revelato. Qvibus prænotatis dicimus: *Datur utiqve malum aliqvod hæreditarium.* Prob. (1) à clariſſima Scripturæ S. litera *Pſ. LI, 7. Gen. IV. 3. Gen. VI, 5. c. VIII 21. Job. XIV, 4. Joh. III, 6. 1. Joh. I, 8. &c.* Qvorum locorum nervum ac emphaſin prolixius exponit *B. Calov. l. c.* conf. & *B. Dn. D. Bechmanni Theol. Polem. part. 2. Controv. 1. p. m. 431. ſqq.* reliqvaqve Syſtemata Noſtratium Theologorum paſſim. (2) Qvia in fœdere illo Paradiſiaco primus homo ſtetit & ut caput fœderale, & ut caput ſeminale, qvemadmodum jam ſupra probatum dedimus, qvare & per unum hominem peccatum in omnes homines tranſiiſſe dicitur *Rom. V, 12.* Omnino ergo hæreditarium eſt.

§. III. *Objic. (1)* Si omnes homines in Adamo peccarunt, E. hodieqve peccant in parentibus filii eorum, & in majoribus ſuis, qvod faceret, ut peſſima eſſet conditio ultimi, qvi debitor eſſet infinitorum peccatorum originis. *Reſp. (1)* Confunditur hic peccatum originale ſeu habituale cum actuali. (2) Inde nunc etiam negantur conſeqventiæ. Peccatum enim originale eſt malum habituale & naturale, qvod à Parentibus non committitur; ſed tantum traducitur. Qvod & traducendo non acqvirit incrementum, ſicut nec alii morbi

corporales & hæreditarii in posteris incrementa capiunt, ideo solum, qvia majorum morbi fuerunt, ut e. g. posteri sint magis leprosi podagrici, hectici &c. qvam majores. Hinc nec etiam ultimi hominis conditio talis erit, ut qvidem Adversarius vult. Et qvid qvod si etiam conditio hæc pessima esset, nihil absurdi esset, qvamvis non opus ut hûc deveniamus ob modo jam dicta. *Objic. (II)* Si in majoribus originaliter peccamus. E. etiam bona opera fecimus. DEus enim liberalior est in gratia qvam Justitia. *Resp.* Neg. Conseq. Nam peccatum originale est vitium naturale. Bona vero opera sunt actus supernaturales, transitorii ac personales. Granum tritici qvod à paleis purgatum est, nihilominus tamen producit alia grana paleis involuta, naturale enim est grano sic propagari, artificiale autem à paleis purgari. *Obj. (III)* Peccata potius posterorum in Adamo originaliter fuisse, qvam vice versa. *Resp.* Utrumqve recte dicitur. In Adamo originaliter fuerunt peccata posterorum, qvatenus hi in illo seminaliter fuerunt. Nam omnes in eo ut fuimus, sic & peecavimus. Contra & Adami peccatum fuit in posteris, habituale nempe, qvod ipse Adamus sibi contraxit, non qvidem numero, specie tamen. Qvemadmodum semen est in arbore radicaliter, arbor in semine, non qvidem qvoad individuum, attamen qvoad speciem. *Objicit. (IV)* Semina hominum hodiernorum in Adamo non fuisse, excrementum enim illa esse & post annum præterire. E. nec peccatum. *Resp.* Licet semina hodiernorum hominum in Adamo non fuerint immediate, fuerunt tamen mediate, & qvamvis perierit multum seminis Adamici, unde homines potuissent propagari, non tamen illud periit, ex qvo propagatus Cain Abel, aliiqve Protoplastorum liberi, ita & est in reliqvis. *Objic. (V)* Videri Evam prægnantem fuisse cum primum peccaret. E. non omnes homines fuisse in Adamo originaliter, cum peccaret. *Resp.* Incerta omnia, nihil enim ejus Scriptura innuit. Ratiuncula allegata nullius est ponderis, qvasi Diabolus Evam tentasset, postqvam interdictum divinum oblivioni aliqva ratione esset traditum. Contrarium constat ex *Gen. III, 2. 3.* ex qvo patet, Evam interdictum oblivioni non tradidisse. Tentavit potius Diabolus Evam verum interdicti sensum ei eripiendo, qvod fieri potuit è vestigio interdicti promulgati. Qvare & ipse Adversarius fatetur, argumentum hoc non esse magni valoris

loris, qvod & de seqvente sexto & octavo judicat. *Objic. (VI).* Nullum sacrificium pro peccato originali fuisse ordinatum ut remitteretur. E. nec tale esse peccatum. *Resp.* Non qvidem legitur id totidem verbis, æqvipollentibus tamen legîtur *Ps. LI, 7.* collat. cum *v. 9. Obj. (VII)* Posteros in suis majoribus esse originaliter; sed non secundum operari & velle. E. nec secundum peccatum. *Resp.* Si posteri sunt in majoribus secundum esse. E. etiam secundum operari & velle, qvia ad esse etiam spectat forma, qvæ est principium operationis & voluntatis. Et licet posteri non sint cooperati voluntate & operatione explicita, cooperati tamen sunt implicita & virtuali. Sine voluntate qvidem subjective esse neqvit peccatum, potest tamen esse sine voluntate effective qvoad proæresin. Nam dantur etiam ignorantiæ peccata, & qvæ fiunt sine reflexione qvadam *Lev. IV, 2. Ps. XIX, 13. Ps. XXV, 7. Objic. (VIII)* Propter peccatum O. non esse reddendam rationem in die extremo, qvia non est gestum in corpore *2. Cor. V, 10.* E. non esse peccatum, cum propter omnia peccata reddenda sit ratio. *Resp.* In impiis utiqve & hujus peccati reddenda est ratio; nam in apricum proferetur, qvicqvid in tenebris fuit absconditum, in qvibus & hoc peccatum est *Jerem. XVII, 9.* In corpore autem hoc peccatum non qvidem commissum est, in corpore tamen receptum est, postqvam Adam peccatum actuale commisisset; deinde & in corpore dominatur, ejusqve membris ut organis utitur *Rom. VI, 12. 19. Objicit. (IX)* Filium non debere ferre pœnam parentis. *Resp.* Filius qvidem non debet ferre pœnam parentis ob peccatum personale ac actuale, bene tamen ob habituale, qvod à parentibus propagatur, & in qvo voluntas Parentum & liberorum stat pro una. *Obj. (X)* Christum in Adamo originaliter nec fuisse nec peccasse. E. nec nos, cum Christus in Adamo non aliter fuerit ac nos. *Resp.* A Christo ad reliqvos homines N. V. C. Christus non ex concursu viri & feminæ, ut nos; sed ex operatione supernaturali Spiritus S. accepit carnem. Qv modo autem Christus fuerit in Adamo aliter ac nos, jam supra ostendimus *ap. 5. qv. 6. §. 3. Objic. (XI)* Animam à DEO creari. F. secundum am originaliter nos in Adamo nec fuisse neq; peccato infectos. *Resp.* creationem animæ nos non defendimus, qvi propagationem potius à parentibus tuemur. *Objic. (XII)* Injustum esse propter originale peccatum.

tum aliqvem occidere. E. nec fuisse peccatum originale. Culpam enim & pœnam esse correlata. *Resp.* Apud DEum injustum id non est, cum omnino & peccatum originale mereatur mortem *Rom. V, 12.* Prolixius hæc omnia deduxit. *B. Dn. D. Bebel. l. c.* qvi hic videri potest.

Qv. VII.

NUM DUPLEX DETUR PECCATUM, ALTERUM NATURALE, ALTERUM LEGALE?

§. I.

Sic docet, *Isaacus Peyrerius in System. Theol. ex Præadamitar. Hypoth. l. c. 2. p. m. 6. sqq.* Ubi inter alia ita: *Duplex igitur peccatum statuemus in Adamo, naturale & legale. Naturale, qvod naturaliter Adamo inhæsit, ex vitio naturæ suæ, & materiæ peccatricis, qvâ formatus est: Legale qvod accidit, & imputatum fuit Adamo ex violata lege DEI.* Sic & deinceps in omnibus hominibus duplex hoc asserit peccatum: *Naturale* qvod sua sibi natura peccatrici hominibus omnibus innatum, visceribus eorum naturaliter & radicitus infixum: *Legale*, qvod accidit, & imputatum est omnibus hominibus ex transgressione legis DEI, qvam Adamus violavit. Non autem ob hoc; sed ob illud saltem dari pœnas, morbos scl. pestes, febres item bella &c. neqve imputationem peccati Adamici, seu *peccatum legale* labefactasse naturam hominum; sed potius corruptionem contractam esse putat ex materia omnium hominum, exqve peccato illo sic dicto *naturali.* Hypothesin hanc notavit *J. Pythius in Respons. exetast. l. 2. p. m. 255.* Confer & contra doctrinam *Peyrerianam* de peccato *B. Dn. D. Dannhawer. in tr. Præadamitæ Utis p. m. 281. sqq.*

§. II. Prænotamus nos (1) sermonem esse de peccato non *improprie & abusive*; sed *proprie* ac *genuine* sic dicto. (2) Non qværi de divisione peccati, nam & nos varie peccatum dividimus; sed de *divisione Peyreriana* modo jam adducta: Hinc dicimus. *Distinctio illa peccati in naturale & legale est nulla.* Prob. (1) Qvia omni fundamento est destituta. (2) Qvia nullum datur peccatum, qvod non sit legale, omne enim peccatum ἀνομία est *1. Joh. III, 4.* (3) Qvia peccatum

catum naturale Adami fuit nullum, cum natura ejus non corrupta; sed integra & cum imagine DEI fuit creata. Vide *Locum de imagine DEI* in Systematibus passim. Cum qvo statu peccatum hoc naturale nullo modo stare potuit. (4) Qvia in reliqvis hominibus peccatum legale qvoqve est naturale, connascitur enim homini. vide & hic Systemata passim. (5) Qvia peccatum illud Adamicum, qvod hominibus imputatum ratione vitii sui qvoqve est connatum *Gen. V, 3.* adeoqve rursus naturale. (6) Qvia omnes pœnæ à peccato legali seu à transgressione legis *Gen. III, 17.* Disp. XII.

§. III. Plane nullo argumento distinctionem hanc suam probat *Peyrerius*, nisi qvod putet imputationem qvod concernit, Adamum in fœdere DEI stetisse tantum *moraliter*, adeoqve à peccato hoc legali nullas esse pœnas; sed à corrupta hominis cujuscunqve natura: Sed vero in eo errat Peyrerius. Contrarium suo loco supra jam à nobis probatum fuit; & ab Adami peccato etiam pœnas derivari in posteros una cum peccato satis testatur iste Apostolus *Rom. V, 12.*

Qv. VIII.

NUM PECCATUM ORIGINALE DIFFUNDATUR IN NEPOTES PRIMO PER CORPUS?

§. I.

ITa docet *Petrus Chauvin relig. Nat. part. 3. c. 4. p. m. 345.* Ubi seqventia habet: *Primo consentanea rerum natura ac ratione peccatum illud Originis in nepotes diffundi per corpus asserimus, eiqve totum sub conceptionis initium in solidum adscribimus, ne DEum in nostram neqvitiam consociemus. Secundo dein vero adjicimus mentem.* Idem & tuetur dans *Eelaircissemens c. 12. p. m. 90.* Atqve adeo peccati πρῶτον δεκτικὸν non animam statuit; sed potius corpus. Idem qvoqve *Bryanus Turner de primi peccati introitu p. 75.* docet. Contra vero vide *Vrignij* dans *remarqves p. 90. Dn. D. Buddæum in Disp. inaug. de capitibus qvibusdam controversis inter Chauvin & Vrigny c. 10.* & Magnif. *Dn. D. Foertsch. in Disput. de Peccat. Orig. qv. 3.*

§. II. Prænotato, sermonem esse non de subjecto peccati *secundario*; sed *primario* Dicimus: *Peccatum originale diffunditur in*

nepotes primo non per corpus; sed per animam. Prob. (1) Qvia peccatum originale, non diffitente ipso Chauvin, est habitus. E. & primario debet esse in anima, sine qva corpus mortuum, & plane nihil valet. (2) Qvia Peccatum originale formaliter dicit (a) absentiam Justitiæ originalis, h. e. privationem lucis Spititualis ex parte intellectus *Eph. V, 8. 1. Cor. II, 14.* & sanctitatis ex parte voluntatis *Ephes. II, 15.* (b) propensionem ad malum ex parte animæ *Rom. VIII, 7.* Sed vero hæc omnia primario spectant ad animam, non ad corpus. (3) Qvia peccatum est ἀνομία *1. Joh. III, 4.* adeoqve præsupponit legem, qvæ non corpori, sed animæ est inscripta *Rom. II, 15.* & circa qvam etiam anima primario versatur. (4) Qvia contraria assertio revera sapit Platonismum, juxta qvem non corpus ab anima; sed anima inficitur à corpore.

§. III. *Objic.* (*I*) Corpus expresse dici subjectum P. O. *Rom. VII, 19. 1. Cor. VI, 15. 2. Petr. II, 14. &c. Resp.* Dist. inter subjectum *primarium & secundarium.* Corpus utiq; etiam est subjectum aliqvod P. O. Sed *secundarium* saltem non *primarium*, qvod est anima, ut modo jam probavimus. *Objic.* (*II*) Seqvi alias, DEum esse causam peccati. *Resp.* Nulla hic causa in DEum redundat, cum tutiorem illam tenemus sententiam, animam nostram ab ipsis peccaminosis parentibus propagari, sicqve & peccatum propagatur, qvod hâc ratione DEO ceu causæ tribui neqvit.

Qv. IX.

UTRUM PECCATUM PRIMUM INITIUM SUMSERIT IN INTELLECTU, AN IN VOLUNTATE?

§. I.

THeologi *Cartesiani* passim docent, peccatum primum initium sumsisse in voluntate. Sic namqve *Burmann. in Synops. l. 2. c. 6. §. 18. patet ad voluntatem peccati primi originem referendam esse.* Item & *Grœnewegen ad Catechism. p. 34. impossibile*, inqvit, *est peccatum primum initium habuisse ab errore in intellectu.* Et *Jo. Braun, in Doctrin. fœder. vol. 1. part. 2. Loc. 9. c. 8. n. 9. p. m. 265.* docet

docet primum omnium peccatum fuisse *negligentiam & teporem in precibus*, peccatumqve Adami processisse non tam ab intellectu, qvam à voluntate. Idem propugnat *Petr. Allinga in Face Dissidii extinct. c. 79. p. m. 160. sqq.* Contra autem vide *Melch. Leydekker. in Face Veritat. Loc. 10. Controv. 1. p. 426. sqq. Van Mastricht in Gangr. Novitat. Cartesian. Sect. poster. c. 33. p. m. 500. sqq.* & ex Nostratibus *B. Dn. D. Jo. Adam. Osiandr. in Colleg. Considerat. c. 17. th. 1. p. 328.*

§. II. Præsupponimus nos (1) non qværi: annon etiam in voluntate sit peccatum; sed an in eadem *primum* habuerit *initium*? (2) Sermonem esse non de *continuatione peccati*, ubi varii confusi & inordinati animi ac voluntatis dantur motus; sed de peccati *primo initio*. Qvibus præsuppositis dicimus: *Peccatum initium habuit non in voluntate; sed in intellectu.* Prob. (1) ab apertissima Scripturæ S. litera *Gen. III, 6.* Et *vidit mulier &c.* Qvod *videre* initium peccati innuens nonnisi primo ad intellectum referri potest, sive respicias aversionem à bono s. reflexionem ad malum. (2) Ex seductione Evæ, qvemadmodum ejus Scriptura expresse meminit *1. Tim. II, 14. 2. Corinth. XI, 3.* Qvæ autem seductio initium habet in intellectu. (3) à Diabolicæ tentationis processu & modo, qvi uti ex historia Lapsus patet, prius ad intellectum erat directus. (4) Ab ordinario actionum moralium processu, in qvibus intellectus præcedit, voluntas seqvitur, ignoti qvippe nulla cupido.

§. III. *Objic. (1)* Judicium & mentis errorem non ad intellectum sed ad voluntatem spectare. *Resp.* Judicium non ad intellectum; sed ad voluntatem pertinere falsum est; si enim qvæ judico, etiam volo, seqvetur, DEum cum judicat qvævis pessima peccata esse talia, etiam ea velle, qvod blasphemum. Imo & sunt omnia contra ipsissima intellectionis principia ipsa praxi experientiaqve qvotidiana comprobata, & confunduntur objecta voluntatis ac intellectus qvam pessime, vide qvoqve qvi de hac materia ex professo scripserunt, v. g. *B. Dn. Rosteuscher. in Disp. de Judicio mentis recte formando §. 4. &* Celeberr. *Dn. D. Jo. Schmid. in Disp. de Judicio ad intellectum non ad voluntat. pertinente, Lips. Ao. 1703. hab.* Conf. & *Leydekker, l. c. Loc. 10. Controv. 5. p. 448. sqq.* Sic & falsum est in intellectu nullos dari errores, contrarium testatur ipse Paulus *Eph. IV, 18. 1. Tim. VI, 5.*

pariter & ipsa experientia id docet. *Obj.* (*II*) Subjectum virtutis esse voluntatem. E. & peccati subjectum esse voluntatem. *Resp.* Et ad virtutem nihilominus antecedenter sese habet voluntas. Voluntas enim non agit, nisi intellectus; an etiam agendum sit, ex lege judicaverit.

Qv. X.

AN PECCATUM ORIG. ETIAM SIT IN VOLUNTATE ET CORPORIS POTENTIIS?

§. I.

QVemadmodum *Cartesiani* Peccatum omne ex *intellectu* volunt relegare, ita contra *Claud. Pajon.* ex *voluntate* illud voluit exterminare. Sic namqve docuit, *peccatum Orig. in intellectu solum, non voluntate hominis hærere, tantum abesse, ut reliqvæ corporis ac animi facultates tristissima hac humani generis clade corruptæ sint.* Idem & assecla *Pajoni* tuentur, teste *Petro Jurieu* dans *traitte de la nature & de la grace tr. 1. c. 1.* Contra vero vide Magnif. *Dn. D. Val. Ern. Løscher. in Exercitat. de Claud. Pajoni doctrina, & fatis. p. m. 105. sq.*

§. II. Status Controversiæ jam per se patet, ex abundanti autem præsupponimus (1) sermonem esse de voluntate spectata post lapsum. (2) Corpus qvod concernit nos loqvi de subjecto non *primario*; sed *secundario*. Atqve hinc Dicimus (I) *Voluntas hominis æqve ac intellectus tota, tota est corrupta.* Prob. (1) à clarissima Scripturæ S. litera *Gen. VIII, 22. Rom. VII, 13. Jerem. XVII, 9. Eph. II, 1. 3.* Qvæ loca satis qvoqve de corruptione voluntatis testantur. (2) Qvia tota anima peccato est infecta *Psal. LI, 7. Ps. VI, 4. Jes. XXXVIII, 17.* E. etiam omnes ejus facultates infectæ erunt, & per consequens etiam *voluntas.* (3) Ex Qvotidiana experientia ipsoqve sensu. Dicimus (II) Et *ipsum corpus P. O. est infectum.* Prob. (1) ex clarissima Scripturæ litera vide Loca *Matth. V, 29. c. XVIII, 8. Rom. VI, 12. 13. c. VII, 24.* (2) Qvia totus homo est corruptus. *Job. XIV, 4. Job. III, 5. 6.* E. & corpus hûc spectabit. (3) Qvia & membra corporis renovatione opus habent *Rom. XII, 1. c. VI, 12. 13. 19. 1. Thess. V, 23.* E. corpus peccato erit infectum. (4) Qvia pœna peccati afficit qvoqve corpus.

§. III. *Objicitur*: Voluntatem, si qvando in eligendo objecto

jecto convenienti aberrat, ab intellectu depravato determinari. *Resp.* Hypothesis hæc est falsissima. Ex sacris literis enim aperte constat, nec voluntati, nec intellectui in *Spiritualibus* libertatem qvandam competere, inde nec voluntas in genere ad malum determinata sublata arbitrii libertate *Rom. VIII, 7. Eph. II, 1.* intellectui, nec intellectus voluntati imperare aut determinare eandem potest 2. *Cor. II, 14. cap. III, 5.* Res *naturales* vero qvod concernit, nec hic voluntas determinatur ab intellectu, ut necessario ultimum ejusdem judicium practicum sequatur. Contrarium namqve ipsa qvotidiana testatur experientia.

Qv. XI.

AN ET QVOMODO PECCATUM INFANTIBUS INSIT?

§. I.

PEccatum in infantibus vel plane negasse visus est *Petrus Chauvin in tr. de relig. Nat. part. 3. c. 5. p. 352.* ubi inter alia docet: *in infantibus cum formantur, duo esse, naturam, & corruptionem: Naturam non attrahere perniciem, hanc enim esse innocentem: nec corruptionem eos damnare, qvippe qvam nullo modo administrarunt.* Refutavit hanc assertionem *Dn. Vrigny* dans *Remarqv. pag. 91.* item & *Dn. D. Budde in Disp. inaug. cap. 10. §. 14. sq.* Contra *Cl. Pajon.* in Gallia peccatum qvidem in infantibus concessit; sed modum qvod concernit, infantes non *habitu*; sed sola *dispositione* peccati Orig. præditos esse docuit. Idem & Discipuli *Pajoni* docuerunt, teste *Jurieu l. c.* Contra vero vide *Dn. D. Læscher. l. c. pag. 105. & 108. seq.*

§. II. Prænotamus nos (1) sermonem esse de *peccato Originali* potissimum, & qvidem *originato*, ejusqve inessendi modo, qvod peccatum deinceps in peccatis variis actualibus sese exerit. (2) Sermonem esse de statu infantum hujus non alterius vitæ. (3) Sermonem esse de habitu non *stricte*, sed *analogice* sic dicto, qvalis est habitus connatus, qvi sic dicitur, non qvod crebris actionibus acqviratur; sed qvia difficulter est mobilis. Qvibus prænotatis Dicimus (I) *Peccato originali infantes utiqve ita sunt infecti, ut corruptio à natura eorundem in hac vita sit inseparabilis.* Prob. (1) a clarissima Scripturæ litera *Ps. LI, 7.* ex qvo dicto satis apparet, jam à primo conceptionis

momento naturam infantum labe hac esse contaminatam, qvæ æternæ mortis ipsos reos facit. (2) Ab ipsis effectibus in infantibus conspicuis, qvos qvotidianus dies ostendit, qvales sunt peccata actualia, etiamsi absqve proæresi commissa, ut sunt ira, indigantio, impatientia, & istiusmodi alia malitia, qvi mali fructus testantur de maxime mala natura, tanqvam arbore maxime corrupta (3) â regenerationis necessitate *Joh. III, 3. 5. 6.* Sic namqve natura caro est de carne, & corruptioni obnoxia, adversus qvam omnino opus est regeneratione. (4) Qvia & infantes moriuntur. Ergo & peccato, ejusqve pœnæ subjacent. Dicimus (II) *Infantes non sola dispositione; sed omnino & habitu Peccati Originalis sunt præditi.* Prob. (1) Qvia infantes dicuntur in peccato concepti *Ps. LI, 7.* qvod certe non nudam qvandam dispositionem; sed omnino & habitum aliqvem connatum exprimit. (2) Qvia figmenta cordis humani dicuntur mala â pueritia *Gen. VIII, 21.* qvod rursus non in sola dispositione; sed in habitu consistit. (3) Qvia Justitia Originalis non nuda qvædam erat dispositio concreata; sed habitus: Ita contra nunc peccatum, qvod in locum ejusdem successit, non est nuda dispositio connata; sed habitus. (4) Qvia nec definitio dispositionis hic poterit locum habere. *Dispositio* enim *facile est mobilis*, non æqve peccatum originale. (5) Qvia contra definitio *habitus* analogice sic dicti hic locum obtinet, qvæ est, qvod *sit qvalitas difficulter mobilis.* (6) ab effectibus Peccati Orig. qvia nimirum Peccatum Orig. & in infantibus non est otiosum; sed maxime negotiosum; infallibili indicio, habitum esse effectus hujus fontem. (7) Qvia contraria sententia Socinianismum sapit.

§. III. *Chauvin Objic. (I)* Naturam esse innocentem. *Resp.* Neg. Nam caro hæc est Natura corrupta, qvâ sumus filii iræ *Ephes. II, 3.* & nonnisi carnem gignit *Joh. III, 6.* Ergo Natura Theologice considerata non potest dici innocens. *Objic. (II)* Corruptionem infantes nullo modo administrasse, non ergo damnare posse. *Resp.* Licet infantes corruptionem non administraverint; recte tamen corruptio iis & imputatur & connascitur. Qvippe in Adamo totum genus humanum lapsum est, & omnes, qvi ab Adamo descendunt, per carnalem generationem labe originali sunt infecti. A *Pajonistis. Obj. (I)* Et fidem saltem dispositionem esse in infantibus. *Resp.*

Et

Et hoc absurdum est. Nam si infantes qvoad naturam suam considéremus, nec dispositionem fidei habent, nec habitum; sed sine omni fide nascuntur, fides autem generatur & accenditur in infantibus in regeneratione; sed vero itidem non ut nuda qvædam dispositio. vide Systemata passim. *Objic.* (*II*) Habitum peccati demum contrahi ab adultis. *Resp.* Dist. inter habitum *connatum* & *acqvisitum*. Eqvidem adulti crebris actionibus acqvirunt sibi peccandi habitum, at vero inde non seqvitur, non etiam dari habitum connatum, nam & in ipsa infantia habitum aliqvem malum adesse ex supra jam dictis patebit.

Qv. XII.

NUM PECCATUM SALTEM SIT MALUM MORALE, NON ITEM NATURALE, ET PHYSICUM?

§. I.

ET hoc *Cl. Pajoni* est dogma. Peccatum sic esse malum tantum morale, neqvaqvam vero malum aliqvod physicum seu naturale, teste *Jurieu l. c.* contra vide *Dn. D. Læscher l. c. p.* 122.

§. II. Præsupponimus, Malum *Naturale* seu *Physicum* non sumi pro eo defectu, qvi pure physicus est, & ex causis Physicis oritur, & corruptionem mere physicam infert; ut morbus naturalis; sed pro tali potius corruptione, qvæ non intellectum solummodo aut voluntatem; sed reliqvas etiam hominis facultates totamqve adeo hominis naturam corruperit. Atqve sic dicimus: *Peccatum rectissime & in hoc sensu vocatur malum aliqvod physicum seu naturale.* Prob. (1) à clarissima Scripturæ litera *Ephes. II*, 3. ubi NATURA dicimur *Filii iræ*, E. tota natura corrupta, & per consequens peccatum naturale qvoqve malum est. (2) Qvia per peccatum totus homo est corruptus cum omnibus suis membris qvoqve, uti jam supra probatum dedimus, ubi disputavimus de corpore subjecto qvoqve peccati, licet secundario. (3) Qvia peccatum est malum per naturam propagabile. *Ps. LI. 7.* E. naturale qvoqve malum est. Alias & confer de hac locutione *Form. Conc. art.* 1. & in *Epit. & in solid. Declar.* aliosqve Theologos nostros à Dn. *Læschero l. c. p.* 127. *sq.* allegatos.

§. III.

§. III. *Objicitur* potissimum hocce: Si peccatum esset malum naturale, esse qvoqve substantiam, & hunc errorem esse *Flacianum* illum in Ecclesia rejectum. *Resp.* (1) Pajonistæ hic volunt vitare charybdin, Flacianismum sc. & incidunt in scyllam, nempe in Pelagianismum, ejusqve errorem de Peccato Orig assumunt. (2) Neg. & Consequentia. Non enim omne, qvod naturale est, & physicum, est ipsa Hominis substantia. Et notitia DEI naturalis datur in homine, qvæ tamen non est ipsa hominis substantia: Infanti phtisico à phtisicis parentibus nato phtisis est naturalis, non tamen est ipsa infantis substantia. Et sic in aliis qvoqve.

Qv. XIII.

AN PECCATUM TANTUM SIT LEGIS CIVILIS TRANSGRESSIO?

§. I.

ITa peccatum definivit olim *Thomas Hobbes.* in *Element. Philos. de Cive cap. 14.* ubi *n. 16. p. m. 234.* qvidem docet peccatum significatione *latissima* comprehendere omne factum dictum & volitum *contra rectam rationem*, mox autem *n. 17. p. 235. sq.* peccati nomen *arctius* sumptum ita describit; *Peccatum est, qvod qvis fecerit, omiserit, dixerit, vel voluerit contra rationem Civitatis i. e. contra leges:* Contra hæc asserta vide *Cocqvium in Anatom. Hobbesianism. Loc. 12. c. 24. p. m. 509. sqq.*

§. II. Præsupponimus nos (1) sermonem esse de peccato, ut ipse *Hobbesius* loqvitur, non *latissime*; sed *arctius* & *strictius* sumto. (2) Sermonem esse de peccato stricte & arctius sumto non *in foro soli*, in qvo istiusmodi peccata contra leges Civiles, sive delicta tam civilia qvam criminalia lubenter concedimus, sed in *foro poli*, & num sic qvoqve nihil rationem peccati stricte sic dicti habeat, nisi ultimato judicium feratur à Civitate, utpote quod qvam maxime *Hobbesius* intendit. Sic namqve exempla adducit de adulterio & furto, asserens, *l. c. p. m. 236.* qvid furtum, qvid adulterium dicendum sit, & qvid ratione culpandum sit, definiendum id esse à Civitate. Qvibus præsuppositis dicimus: *Non omne peccatum proprie & stricte sic dictum est saltem legis Civilis transgressio.* Prob. (1) Ex descriptione primi peccati

peccati in Paradiso commissi à Protoplastis *Genes. III.* Peccatum hoc erat utiqve strictissime arctiusqve sic dictum; nec tamen erat lex qvædam civilis, qvam transgrediebantur Protoplasti; sed unice divina illa, nempe de non comedendo de arbore vetita qvam ipse DEus tulerat: Qvi ipse nunc etiam, & non civitas, peccatum hocce judicabat, (2) qvia peccatum proprie strictiusqve sic dictum describitur per ἀνομίαν *I. Joh. III, 4.* Sed vero hæc lex non est ultimato Civilis, & humana; verum ipsius DEI, ut nemo facile negare poterit, qvi Scripturam agnoscit. Ex hac ergo lege DEI, & non ex lege Civitatis ultimato judicandum est, quid sit adulterium, qvid sit furtum? (3) qvia & Angeli peccarunt *II. Petr. II, 4.* & hoc peccatum fuit stricte sic dictum, nec tamen Angelis lex qvædam Civilis erat posita. Dantur ergo peccata qvædam strictissime sic dicta, licet non sint legum civilium transgressiones. (4) Qvia alias & cogitationibus non posset peccari, nam de his nullæ feruntur leges civiles; sed vero contrarium expresse habetur *Rom. VII, 7. cap. VIII, 7.* &c. (5) Quia alias nulla suprema potestas peccare posset, qvia juxta principia Hobbesiana legibus civilibus non tenetur. (6) qvia sententia Hobbesiana revera Atheismum infert. Si enim nullum alium legislatorem qvam supremum Magistratum ultimato agnoscit, nec ullum alium DEum præter illum admittere tenetur.

§. III. *Objic.* (1) Peccatum stricte dictum esse, quod cum ratione culpatur, atqve adeo à Civitate definiendum esse. *Resp.* Qvid cum ratione culpandum sit tam perfecte & perspicue lege divina & naturali & revelata definitum est, ut nulla remaneat ignorantiæ excusatio *Rom. I, 32. c. II, 14. 15. 2. Tim. III, 16.* atqve adeo in hisce definitione ac judicio civitatis non opus est. *Objic.* (II) Sœpius unum vocare bonum, qvod alter vocat malum, adeoqve rursus definitione Civitatis hic opus esse. *Resp.* Exinde non seqvitur provocatio ad Civitatem. Nam & una Civitas sœpius bonum vocat, qvod altera malum esse judicat. Ad firmius ergo principium refugiendum est, qvod nimirum lex DEI & naturalis & revelata unice est.

Qv. XIV.

AN PECCATUM IN SPIRITUM S. NIHIL ALIUD SIT QVAM BLASPHEMIA IN ECCLESIAM?

§. I.

PEccatum in Spiritum Sanctum ita describit *Thomas Hobbes. in Leviathan. c. 44. p. m. 302.* Ubi docetb, lasphemare in Sp. S. non improprie posse dici blasphemare in Ecclesiam. Hinc & Locum illum *Matth. XII, 32.* ita explicat, qvasi videatur h. l. Servator suam ipsius in peccatis condonandis lenitatem comparare cum Severitate Pastorum Ecclesiæ erga illos, qvi auctoritatem illorum spiritualem parvi facerent, tanqvam dixisset: *Vos qvi potestatem meam aspernamini, Vos qvi me crucifixistis qvoties vos pœnitebit, & ad me per pœnitentiam convertemini, misericordiam meam sentietis. Qvod si vero potestatem eorum, qvi vos posthac docebunt in virtute Spiritus S. negaveritis, erunt illi inexorabiles, neqve in hoc mundo vobis ignoscent; sed sine absolutione puniendos relinqvent (qvantum in illis est) in seculo futuro.* Atque ita verba illa Servatoris sumit pro prædictione severitatis hominum Ecclesiasticorum in Regno Pontificis Rom. Contra vide *Jo. Templer in idea Theolog. Leviath. Dogm. 38. p. m. 316. sqq.*

§. II. Nos præsupponimus (1) Sermonem esse de peccato hocce in *sensu proprio & Biblico*, non vero in *sensu improprio* ac *abusivo*, prouti ab hoc vel illo ex privato ausu pro rationis suæ invento describitur. (2) Sermonem esse de peccato hocce non prout *remote* etiam committitur in Ecclesiam veram, in qva Spiritus S. verbum per præcones suos proponit; sed prouti *proxime* committitur ac *immediate*. Qvibus præsuppositis dicimus: *Peccatum in Spiritum S. in sensu proprio ac Biblico non notat blasphemiam qvandam in Ecclesiam, multo minus in illam, utqvidem Hobbesius vult.* Prob. (1) qvia hæc interpretatio *Hobbesii* est contra scopum Christi in loco classico, in qvo agit de hocce peccato. Sic namqve in eo Servator non agit de Severitate Pontificis Romani, de qva ne γρῦ qvidem in toto illo loco occurrit; sed potius agit de remissibilitate & irremissibilitate

bilitate qvorundam peccatorum in foro divino, uti ex singulis vocibus, singulisqve circumstantiis est ad oculum. (2) Qvia hæc sententia *Hobbesii* quoqve est contra ipsam literam. Sic namqve vocabulum *Spiritus S.* nullibi in S. Codice sumitur pro *Ecclesia*; sed semper denotat tertiam SS. Trinitatis personam, eo magis qvidem *Matth. XII, 32.* ubi simul *Filio DEI*, tanquam secundæ personæ contradistingvitur. (3) Qvia Sententia *Hobbesii* qvoqve est contra contextum, cum hujus peccati in *præsenti* qvoqve arguantur Pharisæi, & non saltem ad *futura* respiciatur. (4) Qvia, cum Christus hæc verba locutus, Pharisæi non infima erant Ecclesiæ pars, qvi solvendi & ligandi potestatem sibi arrogabant. Si itaqve blasphemare in Spiritum S. sit Ecclesiæ convitium impingere, perinde est, ac si diceres blasphemare in Spiritum S. esse Pharisæos probro afficere. Atqve sic peccare in Spiritum S. idem esset ac in Pharisæos peccare, qvod absurdissimum est. (5) Si per Ecclesiam non intelligitur tum præsens qvoqve; sed tantum futura, & qvidem in regno Pontificis R. tum in Spiritum S. blasphemare nihil aliud erit, qvam famam lædere Pontificis R. & sic qvilibet Lutheranus & Reformatus, imo & omnes illi qvi Pontifici R. in regno tenebrarum principatum tribuere nolunt, peccati hujus in Sp. S. rei erunt. Qvod vero dictu absurdissimum foret (6) Qvia & aperte hæc interpretatio Hobbesii est contra loca parallella *Marc. III, 28. 29. Hebr. VI, 4. sq. c. X, 26. 29. 1. Joh. V, 16.* Ex qvibus locis satis patet, peccatum hocce non Ecclesiam falsam Papisticam; sed doctrinam Evangelicam veram & Spiritum S. tertiam Trinitatis personam lædere. (7) Qvia & nemo hactenus in Ecclesia, tam absurde peccatum hocce definivit. (8) Qvia & denuo Atheismum Hobbesii sententia hæc prodit, dum DEum & Spiritum S. omni modo, & qvavis occasione elidere studet.

§. III. Non habet *Hobbesius*, qvod pro stabilienda absurdissima hac sua sententia afferat, nisi hoc unicum, qvod *objicit*: Manifestum esse, Spiritum S. tertiam personam Trinitatis esse paracletum, eo fine ut Ecclesiæ usqve ad finem mundi assisteret, & proinde putat, blasphemare in Spiritum S. non improprie dici posse blasphemare in Ecclesiam. *Resp.* Spiritus S. missus qvidem est paracletus Ecclesiæ. Sed (1) inde non seqvitur, Ecclesiam & Spiritum S.

esse unum idemqve. Nullibi enim in toto S. Codice vocabulum Spiritus S. denotat immediate Ecclesiam. (2) Paracletus est Ecclesiæ veræ, non falsæ, qvalis est Pontificia, qvam hoc loco intelligit Hobbesius, qvamqve & ipse pro falsa omnino habet. Non ergo blasphemare Ecclesiam poterit esse peccatum in Ecclesiam Papisticam & Pontificem R.

Qv. XV.

AN PECCATUM IN SPIR. S. TANTUM VERSETUR CIRCA DONA SP. S. POST RESURRECTIONEM & ASCENSIONEM CHRISTI EFFUSA?

§. I.

SIc non ita pridem peccatum hocce descripsit *Daniel Whitbÿ in a Paraphrase and Commentary in the New Testament Londin. Ao. 1703.* edit. *Append. ad Matth. XII.* Ubi docet, Peccatum in Sp. S. non tam in cogitationibus ac operibus consistere, qvam in verbis. Qvem in finem discrimen facit inter Spiritus S. operationes extraordinarias, ad qvas miracula pertinent, & illius dona seu Charismata, qvibus intellectus illuminatur, & ad ea qvibus perficiendis natura non sufficit, idoneus redditur. Peccatum autem in Sp. S. non illas; sed hæc respicere docet, certissimumqve esse putat, qvod crimen ejusmodi eo tempore, qvo Christus in terris versabatur, & Spiritus S. nondum venerat, nec perpetratum sit, nec perpetrari potuerit. Qvibus expositis ulterius discrimen inter hoc ipsum peccatum, & reliqva convitia, qvæ in Christum inter homines agentem Judæi jactarunt, ostendit, atqve causas explicat, qvare isti omnis remissio denegetur; hæc vero veniam impetrare potuerint. Cum nimirum Judæi in Filium hominis peccantes humillimum ipsius, & contemtissimum vitæ genus cum Messiæ dignitate non bene convenire posse crederent, multisqve adeo circa ejus personam & doctrinam præjudiciis laborarent, conniviſse qvasi Servatorem istorum incredulitati, eosqve misericordia & indulgentia potius qvam celerrima vindicta dignos judicasse putat, usqve dum resurrectionem suam atqve Spiritus S. missionem

sionem omnia, qvæ fidei ipsorum obstare videbantur, removisset. Cum è contrario Spiritus S. effusio, donorumqve illius distributio efficacissimum fuerit medium, qvo DEus homines ad pœnitentiam perducere voluerit, qvoqve rejecto eos gratia sua dignari amplius noluerit; prætereaqve peccatores in Sp. S. ob pertinaciam, qvæ evidentissima veritatis argumenta rejicere solent, credere omnino non possint, hinc fieri autumat, qvod peccatum hoc irremissibile sit!

§. II. Præsupponimus, qværi potissimum de donis illis Spiritus S. tempore Pentecostes & in primitiva Ecclesia effusis, & non, annon etiam Pecatum in in Spir. S. ea qvoqve qvodammodo respiciat: Sed an unice, & tantum circa illa versetur, eorumqve rejectionem à Judæis factam? Hinc jam Dicimus: *Peccatum in Spiritum S. non tantum versatur circa dona Spiritus S. post resurrectionem & ascensionem Christi, eorumqve rejectionem à Judæis factam.* Prob. (1) Qvia nullo idoneo argumento contraria sententia potest commendari. (2) Qvia peccatum hocce non tantum circa dona illa Spiritus S. post resurrectionem & ascensionē Christi effusa, qvæq; potissimum ministrantia erant ac extraordinaria (aliter ac qvidem *Dn. Whitbÿ* vult, qvi pro ordinariis omnia habet) sed & ingenere circa doctrinam ipsam Spiritus S. Evangelicam, & qvidem immediate ac proxime versatur, qvemadmodum constat ex apertissima Scripturæ S. literæ *Hebr. VI, 5. cap. X, 29.* Qvo & deinceps demum ceu appendices referuntur dona illa. Ex qvibus nunc infallibile illud consectarium seqvitur: Ubi hæc ipsa doctrina Evangelica est, ibi etiam peccatum in Spiritum S. committi posse. Jam vero doctrina hæcce non saltem tempore effusionis illius adeo solemnis donorum Spiritus S. fuit; sed & jam tempore Christi & adhuc hodie est. Qvo ergo tempore peccatum hocce committi potuit. (3) Qvia Christus *Matth. XII, 31 sqq.* de peccato hoc loqvitur in præsenti, & actu à Pharisæis jam commisso, uti singulæ circumstantiæ satis arguunt, imprimis etiam peccatum illud in filium hominis; qvod tum fuisse *Whitbÿ* non negat. Qvo autem posito necessario & peccatum in Spiritum S. admittendum erit, qvia immediate hæc duo peccata combinantur ceu uno tempore tum commissa. E. non demum respici poterunt effundenda illa Spiritus S. dona. Conf. & *Mars. III*, & imprimis *v. 30.* qvia pertissime innuit, tum

temporis peccatum hocce fuisse commissum. (4) Qvia promiscue, ad qvævis tempora peccatum hocce extenditur, ut satis videre est ex absoluta illius descriptione facta *Luc. XII, 10.* Non ergo respicit sola tempora effusionis donorum Spiritus S. (5) Qvia multi ex illis, qvi dona illa effusa initio contemserunt, deinde fuerunt conversi, ut ad oculum est ex exemplo Saulis, qvi juxta hanc hypothesin omnino fuisset peccator in Spir. S. sed sic non fuisset conversus, & qvæ his similia. Qvare & (6) nemo unqvam ex orthodoxis in Ecclesia ita docuit.

§. III. *Objic. (I)* Licet de peccato hocce cum Pharisæis Christus colloqvatur; non alia tamen de causa id factum fuisse, qvam ut eos ab ulteriori Filii hominis blasphemia revocaret, ne magis magisqve occœcati tandem etiam dona Spiritus S. mox effundenda contumelia afficerent, utpote qvorum distributione ultima vice DEUS ad pœnitentiam eos esset vocaturus. *Resp. (1)* Dicuntur omnia; nullo vero argumento probantur. Contra vero ex jam dictis satis appareret, Salvatorem loqvi de peccato hocce ad Pharisæos non ut committendo; sed ut jam commisso. *(2)* Et de peccato in Filium hominis Salvator loqvitur, seqveretur ergo, & illud tum nondum fuisse commissum. Qvod vero absurdum, non diffitente ipso Adversario. *(3)* Et hoc falsum, DEum tempore Pentecostes Judæos ultima vice ad pœnitentiam vocasse, cum adhuc hodie eos vocet & vocaturus sit usqve ad extremum diem. Vocatio enim DEI est universalis. vide systemata passim. *Objic. (II)* Christum pro Pharisæis orasse. E. Peccatores tum in Sp. S. non fuisse. *Resp.* Num Christus pro Pharisæis oraverit, adhuc sub Judice lis est. Et si pro iisdem etiam oraverit, nihil probaretur pro adversa sententia. Sic enim Christus hic attendendus esset, ut universalis Sacerdos ille, qvi uti pro peccatoribus in Sp. S. satisfecit, ita etiam pro iisdem oraverit. *Objic. (III)* Spiritum S. tempore Pharisæorum nondum fuisse, *Joh. VII, 39.* E. nec in ipsum tum peccari potuisse: *Resp.* Nondum qvidem tum erat Spiritus S. respectu effusionis illius singularis, & donorum illorum extraordinariorum: Erat autem nihilominus utiqve ratione doctrinæ Evangelicæ, eorumqve donorum, qvæ jam tempore Christi fuerunt, expresse testante Christo *Matth. XII, 28.* Adeoqve peccatum hocce utiqve commiti potuit.

CAP.

CAP. VII.

De LIBERO ARBITRIO!

Qv. I.

NUM HOMO POST LAPSUM IN SPIRITUALIBUS PLUS HABEAT VIRIUM, QVAM AD SALUTEM REQVIRITUR?

§. I.

Affirmant ex recentioribus *Pajonistæ*, *Claudii Pajoni* in Galliâ discipuli, præsertim *Papinus*, cui id *Arbussus* tribuit, qvi auctor putatur tractatus illius Gallici: *la Juste idee*, qvod nimirum statuerit, hominem post lapsum in rebus mere spiritualibus plus habere virium, qvam qvidem ad totum salutis negotium reqviratur. Pariter & ex recentioribus *Dn. Petrus Chauvin. de relig. nat. l. 2. c. 3. p. m. 245.* Vires liberi arbitrii in spiritualibus asserit, easqve argumentis suis probare conatur. Contra *Pajonistas* vid. Dn. *D. Læscher. in Exercitat. de Pajoni doctrin. & fat. p. 133. sqq.* Contra *Chauvin*, *vid. Dn. D. Budde in diss. inaug. c. 2.*

§. II. Præsupponimus nos (1) sermonem esse de homine post lapsum, & qvidem ante Conversionem suam adhuc spectato. (2) Sermonem esse de libero arbitrio non *abusive*; sed *proprie sic dicto.* (3) sermonem esse de rebus *mere Spiritualibus.* Qvibus præsuppositis dicimus: *Homo lapsus ante conversionem suam in rebus mere spiritualibus plane nullum habet liberum arbitrium.* Prob. (1) qvia hominis & intellectus & voluntas plane nihil valent in Spiritualibus. vide clarissima loca *I. Cor. II. 14. Eph. IV, 18. c. II, 3. Gal. V, 17. &c.* (2) Qvia homo in *Spiritualibus* est instar mortui *Eph. II, 1. c. V, 14.* (3) Qvia Conversionis Opus in toto S. Codice unice saltem DEO tribuitur 2. *Cor. III, 5. &c.* (4) qvia contraria sententia apertissimum Pelagianismum sapit. vide plura alia argumenta in Systematibus Nostratium passim. Qvod si autem jam probatum est,

hominem

hominem in Spiritualibus plane nullum habere liberum arbitrium, jam & per se seqvitur, non habere hominem plus virium qvam ad totum salutis negotium reqviritur, neqve ullo modo vires hasce extollendas esse.

§. III. *A Pajonistis Objic. (I)* Animam nostram utpote rationalem non moveri posse, nisi impressione rationali s. oblatione objecti, cujus tanta vis ac ἐνέργεια, ut argumentorum ponderibus intellectum ad admittenda illa satis idoneum sine ulteriori principis causæ influxu, aut proxima operatione movere possit. *Resp.* Pura puta *Pelagiana* hæc omnia sunt, nec ullo argumento probari possunt. Contra potius plane apertissimum est, intellectum plane nullas habere vires in rebus spiritualibus; sed omnes demum à Spiritu S. accipere, qvi agit per verbum non svasione morali; sed virtute ac efficacia operativâ ac effectiva. Nullæ ergo vires præsupponi possunt. Est enim homo mortuo hic similis. Et qvemadmodum nunc verbum omnipotentissimum illud divinum mortuos excitans vires se erigendi non præsupponit; sed reapse qvoqve confert: ita & hic comparatum est. *Objic. (II)* Peccatum non esse in voluntate, hinc eam non esse corruptam, sed bonitate sua in se suaqve natura gaudere. *Resp.* Negando omnia. Contrarium contra *Pajonum* ejusqve asseclas jam satis superqve in *præced. Cap.* demonstratum dedimus. A Dn. *Chauvin. Objic. (I)* Nos ratione naturaliter uti. E & naturaliter libero vigere arbitrio, quod illam indivulse subseqvatur. *Resp.* In spiritualibus falsum est, nos ratione naturaliter uti. Contrarium testatur Paulus *Gal. I, 16.* qvod & in thesi qvoqve probatum fuit, ex qua constat, rationem hic esse cœcam & mortuam, qvare & in conversione mere passive sese habet homo, & nonnisi supernaturaliter præparatur. *Objic. (II)* Si careremus libero arbitrio, nullam esse proprie vel virtutis mercedem, vel sceleris pœnam, cum vel virtus vel vitium proficisceretur ab exteriori principio, seu motu, qvem declinare non possemus. Et hoc argumento quoque uti Patres pariter ac recentiores. *Resp.* Utuntur quidem nonnulli ex Patribus, ut & ex recentioribus hoc argumento; sed tantum in naturalibus & Civilibus, neqvaqvam vero in spiritualibus Orthodoxi sic argumentantur: In spiritualibus enim omne bonum non à nobis; sed unicè à DEO est, uti in thesi jam probatum fuit.

Qv. II.

Disp. XIII.

NUM CAVERE POSSIMUS, NE UNQVAM ERREMUS, ET NUM VOLUNTAS FACILE AMPLECTATUR BONUM?

§. I.

ESt' hoc dogma *Renati Carteſii.* Sic namqve in *Princip. part. 1. n. 6.* ſcribit: *Interim à qvocunqve tandem ſimus, & qvantumvis ille ſit potens, qvantumvis fallax, hanc nihilominus in nobis experimur libertatem, ut ſemper ab iis credendis, qvæ non plane certa ſunt & explorata poſſimus abſtinere, atqve ita cavere, ne unqvam erremus.* Idem qvoqve propugnat *Wittich. in Theol. Pacif. §. 41. & 127.* ubi docet magnam lucem eſſe in intellectu noſtro, magnam etiam inde ſeqvi inclinationem in voluntate. Conf. & *Burmann. in Synopſ. l. 1. c. 24. §. 19. Velthuſ. de init. prim. Philoſ. p. 14. & 274. & Petr. Alling. in Erotem. Illuſtr. Decad. II. Erot. 10. p. m. 360. ſqq.* Contra qvos vide *Dn. Melch. Leydekker in Face Ver. Loc. 10 Controv. 8. p. 462. Petr. van Maſtricht in Gangr. Novitat. Carteſ. ſect. poſter. c. 33. p. 500. ſqq.* & ex Noſtratibus *B. Dn. D. Johann. Adam. Oſiandr. in Colleg. Conſiderat. in Dogmata Theolog. Carteſianor. c. 17. th. 3. p. 336. ſqq.* & *B. Dn. D. Juſt. Chriſtoph. Schomer. in Colleg. Noviſſim. Controv. c. 10. §. 2.*

§. II. Coincidit ferme hæc doctrina cum ea, qvam jam in *præced. qvæſt.* examinavimus, ex qva *ſtatus Controverſiæ* repeti poterit. Qvo præſuppoſito dicimus: *Non eſt in nobis poſt lapſum reſidua poteſtas cavendi, ne unquam erremus, nec voluntas facile amplectitur Bonum.* Prob. (1) ex profundiſſima naturæ per lapſum corruptione, qvam jam in præcedenti qv. probavimus ex S. Codice. Adde Syſtemata noſtratium paſſim. (2) Ex recta ſanaqve ratione. Nam nullus hominum eſt, qvi non experiatur, ſe qvandoqve in errores dilabi. Et ſi qvis eſt qvi imaginatur hoc ſibi, eo ipſo in maximum errorem revera jam lapſus eſt. Nemo etiam eſt, qvi non experiatur difficultatem ad ſectandum verum bonum, & non agnoſcat qvandoqve, ſpeciem boni ſe amplecti pro ipſo Bono.

§. III. *Objicitur:* Qvod si in nobis non sit illa libertas, fore ergo in nobis necessitatem. *Resp.* In mere spiritualibus necessitas hæc non implicat, utpote in qvibus & ratione intellectus homo vires plane nullas habet. Res naturales qvod concernit, à particulari, dum scilicet in nonnullis errores sint inevitabiles, ad Universale, N. V. C. &c.

CAP. VIII.

De

GRATIA, ELECTIONE & REPROBATIONE.

Qv. I.

AN VOLUNTAS DEI UNIVERSALIS TANTUM INTERPRETATIVA SIT, ALIAQVE MEDIA SALUTIS ALIIS IN CIRCUMSTANTIIS ALIIS DET?

§. I.

Sic sentit *Johannes Stearne*, & ex eo nunc etiam Decretum *electionis* ac *reprobationis* explicare voluit in *Dissertat*, *Dublini edita*, cujus hæ sunt propositiones (1) *DEum omnibus concedere media ad salutem necessaria.* (2) *Decretum in omnes conferendi media ad salutem necessaria esse ingentem illam & universalem DEI φιλανθρωπίαν tantopere sacris in literis celebratam.* (3) *Hoc decretum media conferendi esse salutis omnium volitionem interpretativam.* (4) *Ex mediis ad salutem necessariis, qvæ DEus pro immensa sua bonitate omnibus concedit, alia concedere aliis, & in certis circumstantiis, quorum usum in illis circumstantiis fructuosum præviderit, alia aliis & in certis circumstantiis, qvorum usum in illis circumstantiis infructuosum fore præviderit.* (5) *Decretum conferendi media in alios in certis circumstantiis, qvorum usum in iis circumstantiis fore finaliter fructuosum præsciverit DEus, esse electionem*

nem, & conferendi media in alios in certis iterum circumstantiis, quorum usum istis in circumstantiis fore finaliter infructuosum præscivit DEus, esse reprobationem. Qvibuscum & quodammodo conveniunt, qvæ *Rivetus Disp. 7. de Justa & gratiosa DEI dispensat. thes. 29. docet*: Ubi voluntatem hanc DEI circa hominum salutem non vult dicere *formalem*; sed esse in DEO tantum *eminenter*, sive per *tropum* dicit. Contra qvem vide *B. Dn. Dannhawer. in Hodosoph. p. m. 529. seq.*

§. II. Prænotamus nos (1) sermonem jam esse non de affectu *primæ commiserationis* erga lapsum Genus humanum, qvo salutem amissam eidem recuperari vult, si Justitiæ suæ fiat satis: sed de actu illo efficacissimæ dilectionis in universum genus humanum per mediorum salutis ordinationem se diffundentem. (2) Sermonem esse de voluntate *interpretativa*, prouti nimirum *formali* contradistinguitur, qvo sensu voluntas *interpretativa* est, qva qvidem ipse aliqvid actu & immediate non volo, nec intendo; sed saltem velle teneor, qvasi vellem ac intenderem, utpote qvod alii ita interpretantur, qualis e. g. consensus est in pœnam, cum consentis in delictum. (3) non esse sermonem de *modo*, qvomodo voluntas hæc sit in DEO, perfecte determinando, utpote qvæ disputatio ad hunc locum non pertinet; sed de *illo modo* qvem Adversarius nobis vult obtrudere. (4) Sermonem esse de volunrate DEI non saltem circa *finem*; seu salutem; sed & circa *media* ad finem ducentia. (5) Non esse sermonem de voluntate qvadam DEI *arcana*, qvæqve nullo humano ingenio investigari potest; sed de voluntate ejusdem *revelata* in verbo ipsius, ex qvo unice de tam ardua hacce materia judicandum est. Qvibus prænotatis dicimus (1) *Voluntas illa DEI universalis circa hominum salutem, ejusq; media non est mere interpretativa.* Prob. (1) Qvia plane nullo argumento ex Scriptura S. assertio hæc de voluntate qvadam interpretativa, prouti ea vulgo definitur, probari potest, ex qvo tamen principio merito omnis probatio in tam arduo negotio instituenda esset. (2) Contrarium potius probant dicta illa Scripturæ S. qvæ voluntatem hancce divinam nobis exponunt, in qvibus actu ipso & reapse, atqve adeo formaliter potius DEus dicitur omnium hominum salutem, salutisqve media velle. Vide Loca maxime emphatica

phatica *Ezech. XIIX,23. c.XXXIII,11. I.Tim.II,4. II. Petr. III,9. 1.Joh. II. 2. Joh. III, 16. &c.* Qvæ omnia voluntatem DEI non ſaltem interpretativam; ſed reapſe formalem eſſe, ſat clariſſime indicant. (3) Qvia ſi DEus ſaltem interpretative vellet, ſeqveretur, DEum hominum ſalutem non immediate; ſed mediate, non explicite; ſed implicite ſaltem velle. Atqve ſic DEus in dictis jam allatis revera luderet, & hypocritice ageret cum hominibus. Qvæ vero dicere ſumma eſt in DEum blaſphemia. Ea ipſa argumenta probant etiam, voluntatem hanc DEI eſſe formalem ac propriam & non per tropum qvendam. A proprietate literæ enim non eſt facile recedendum, imprimis ubi nulla eſt neceſſitas. Dicimus (II) *Ex mediis illis ſalutis DEus non alia, aliis concedit & quidem in circumſtantiis illis ab Adverſario aſſertis.* Prob. (1) Qvia media omnibus & ſingulis hominibus DEus plane eadem, & in iisdem circumſtantiis offert, cum idem ſit verbum, eademqve Sacramenta, qvod æqve omnibus annunciatur, qvæqve omnibus æqve conferuntur & applicantur. (2) Qvia & ipſis reprobis eadem media fuere oblata, qvæ electis. vide clariſſima Loca *Pſ. XCV, 8. Prov. I, 24. Jeſ. I, 16. c. XXVI, 10. c. LXV, 2. c. LXVI, 4. Matth. III, 1. c. XXIII, 37. &c.* (3) Qvia alias revera voluntas illa DEI in oblatione mediorum illorum, qvorum uſum in illis circumſtantiis infructuoſum fore præviderit; non foret ſeria. Contrarium autem & ipſe DEus juramento qvodam ſerio conteſtatus eſt, *Ezech. XXXIII*, 11. (4) Nituntur omnia communi illa, dudumqve exploſa Calvinianorum hypotheſi de duplici illa vocatione, interna & externa, efficaci & inefficaci. Contra qvam vide Syſtemata Noſtratium paſſim. Dicimus (III) *Minus recte quoque ex hoc diverſo conferendi media decreto elicitur & Electio & reprobatio.* Prob. (1) Qvia hac ratione revera decretum & electionis & reprobationis fit abſolutum, cum fidei aut incredulitatis prævisæ hic plane nulla habeatur ratio. Eqvidem dicitur DEus præſcire uſum mediorum finaliter fructuoſum & infructuoſum. Verum enimvero ex integra hypotheſi ſatis videre eſt, DEum non omnibus fidem velle dare, partim qvia formaliter DEus non vult omnium hominum ſalutem; ſed tantum interpretative: partim qvia non omnibus eadem DEus offert media, ex qvibus ſcilicet fides eſt gignenda, & decretum illud

illud conferendi media iis, qvorum usum in illis circumstantiis DEus infructuosum præscivit, ex hypothesi Calviniana respicit vocationem illam vulgo alias sic dictam inefficacem ex parte DEI, sic inefficaciter autem vocare est plane non vocare, & non omnium fidem velle, sed qvorundam saltem, idqve absolute, huncqve in finem jam ineffi-caciter vocare. Ecqvid hoc aliud qvam absolutum illud Electionis ac reprobationis decretum, aliis saltem verbis propositum, ut eadem tamen semper maneat Reformatorum mens? (2) Qvia Electionis ac reprobationis principium normans proximum & immediatum non est decretum conferendi media, sed prævisio futuræ fidei aut incredulitatis finalis, *II. Petr. I, 2. II. Thess. II, 13. Marc. XVI, 16. Joh. III, 18. 36.* (3) Qvia istiusmodi fallacibus explicationibus à via veritatis saltem abducimur. Retinenda ergo doctrina illa de Gratia DEI Universali, ut & de decreto Electionis ac Reprobationis, qvemadmodum in Scriptura S. clarissimis verbis proponitur, & qvemadmodum Orthodoxa Ecclesia hactenus qvoqve sic exposuit, ut in illa plane nihil desiderari jure qvodam possit.

§. III. *Objic.* (*I*) Voluntatem illam DEI ab Ecclesia nostra hactenus descriptam ex parte reproborum inefficacem fore, sicqve in DEum caderet imperfectio, præferendam ergo esse voluntatem illam interpretativam. *Resp.* Neg. Consequentia. Non enim semper eveniunt, qvæ DEus vult, qvippe non in omnibus potentia sua absoluta uti vult. Et desiderium Medici in ægroto curando non est inefficax, qvamvis non semper sequatur sanitas. Hinc & nulla hic in DEO imperfectio, ut qvi nihil sibi; sed nobis voluit, & qvidem certo ordine. *Objic.* (*II*) Si voluntas in DEO formaliter esset, eam perpetuam fore. At voluntatem DEI non esse perpetuam, cum ne pii qvidem homines post hanc vitam velint reproborum salutem. *Resp.* cum *B. Dannhawero l. c.* Negando, voluntatem salvandi qvoad reprobos perpetuam fore, qvia nec misericordia qvoad damnatos perpetua erit. Perpetua est DEI voluntas in sensu composito explicata hoc modo: Ego ab æterno volui, & in æternum volo, ut si Judas peccator resipiscat, vel resipuisset, salvaretur: non in sensu diviso, ego volo Judam nunc damnatum adhuc salvari.

Qv. II.

QVID de SEMIPRÆDESTINATIONE LATITUDINARIA SENTIENDUM?

§. I.

CUm *Reformati* variis passim modis tentaverint, in hoc articulo de Gratia & Prædestinatione nos Lutheranos à veritatis tramite abducere, variasqve hinc invenerint phrases, sub qvibus venenum suum occultare ausi sunt; ita & huc spectat omnino *Latitudinaria* illa sententia, cujus auctor putatur *Henricus Morus*, ita in *Mystery of Godlineſſ. ſ. Mysterio pietat. l. 10. c. 5. §. 2.* docens: *dari aliqvam in mundo discretivam gratiam, ea effectus differentia, ut pauci quidam per illam irresistibiliter salvisiant, reliqvum autem hominum genus probationi relinqvatur, i. e. libertate arbitrii gaudeat, alii majoribus, alii minoribus adipiscendæ salutis viribus præditi, ut quicunqve damnatur, sua culpa pereat.* Ne autem videatur ludere velle ambiguis terminis, ut ab aliis factum esse fatetur, qvi sufficientem gratiam ab efficiente subdole distingvunt, ut qvæ sufficiens in se ipsa sit, ex decreto tamen divino actu ad saluten non sufficiat iis, qvibus datur, subjungit §. 3. aliam sibi mentem esse, *seqs profiteri, qvod ex reliquis illis omnibus, qvibus sufficiens gratia data est, alia vel alio modo ac tempore, plurimi salutem actu consecuturi sint, prout luce & viribus sibi concessis fideliter usi fuerint.* Hanc unius viri privati sententiam postea suam fecere illi, qvi a dilatato ad recipiendos etiam Puritanos Ecclesiæ sinu apud Anglos vulgo *Latitudinarii* dicuntur, uti communi eorum nomine exponit *Fowlerus* in tr. anglicano anonym. *Principles and practices of certain moderate divines abusively called Latitudinarians p. 228. sqq.* Ideoq; hanc in Arminiana Controversia mediam sententiam ceu latentem hactenus & ignotam veritatem arripuerunt, qvam iisdem fere verbis, qvibus *Henricus Morus*, proponunt, putantes scil. pro ea, qua gaudent opinandi licentia, reducendas esse sub alienum temperamentum qvaslibet sectarum differentias, ut mitigati utrinque animi felicius coalescant. Totam hanc hypothesin in plane Doctissima solidissimaqve Disp. discussit in hac ipsa Academia B. Dn. D. *Justus Christoph. Schomerus*

merus de Semiprædestinatione Latitudinar. Ann. 1682. hab. Confer. & Ejusdem *Colleg. Noviſſim. Controverſ. c. 12, §. 7.*

§. II. Prænotamus nos (1) ſermonem nobis eſſe de gratia & prædeſtinatione in *ſenſu Biblico*, & non ex *proprio* quodam ingenii auſu temere definienda. (2) Non ſermonem eſſe de peculiari forte gratia qvadam Electis præparata & Orthodoxe explicata, qvemadmodum B. *Hulſemann. de auxil. grat. p. m. 317.* docet, *quod non ſit impium dicere, electis eſſe peculiarem qvandam gratiam à DEO præparatam, qua infallibiliter convertantur, & in fide conſerventur, modo illam gratiam, qva πρόσκαιρος convertit, ex natura ſua & ex DEI inſtituto ſatis efficacem eſſe, efficacia intrinſeca, ut per eam recidivi potuerint perſeverare & ſalvari, agnoſcas*; ſed ſermonem eſſe de gratia illa *diſcretiva* ſic dicta, qvæ diverſum hunc habet effectum, ut pauci quidam per illam irreſiſtibiliter ſalvi fiant, reliqvi autem homines probationi, ut modo jam ex verbis *Henr. Mori* percepimus, relinquantur. Qvibus prænotatis dicimus: *Semiprædeſtinatio illa Latitudinaria in modo jam propoſito ſenſu plane nulla eſt.* Prob. (1) Qvia ſententia illa de ſemiprædeſtinatione illa plane nullo nititur argumento è Sacro Codice deprompto, ex qvo tamen unice de tam arduo articulo judicandum eſt. (2) Qvia contra Scriptura S. eos, qvi prædeſtinati ſunt, non ſemiprædeſtinatos, ſed in totum prædeſtinatos deſcribit *Eph. I, 4. Rom. VIII, 29. 30.* & in reliqvis dictis omnibus, qvæ de Prædeſtinatione agunt. (3) Qvia revera duplex hac ratione ſtatuitur electio; altera *abſoluta* & *irreſiſtibilis* gratiæ, altera, ex *præviſione recti uſus mediorum* ad ſalutem conceſſorum & ex propriis viribus applicatorum. Utramqve Electionem ignorat Scriptura, & tantum unius illius electionis, qvæ fit intuitu fidei in Chriſtum præviſæ meminit, *Eph. I, 4. II. Theſſ. II, 13. 1. Petr. I, 2. &c.* (4) Qvia nulla tanta eſt gratiæ divinæ operatio in homines, quin illi malitia hominum ſe opponere, eique reſiſtere poſſit. Plane clariſſimum habemus locum *Jeſ. V, 3. ſqq.* ubi de tali operatione ſermo eſt, ut major adhibenda non reſtet, & tamen reſtiterunt. Vide & ſyſtemata paſſim de reſiſtibilitate gratiæ agentia; in quibus & ſimul obſervatur, & in extraordinaria Converſione ne quidem irreſiſtibiliter DEum agere, qvemadmodum ex exemplo Judæorum ex Ægypto in deſertum ductorum *Num. XI. 1. 33. c. XIV, 36. c. XVI, 32. ſq. & 46. ſqq.* aliorumque probari ſolet. Non ergo datur quædam

qvædam gratia, per qvam pauci qvidam irresistibiliter salvi fiant, (5) Qvia nemo hominum ex propriis viribus mediis salutis recte uti potest. Nemo enim ad Christum venire potest, nisi eum trahat pater *Joh. VI, 44.* Unde etiam totum conversionis opus unice DEO in S. Codice tribui solet. Vide Systemata Nostratium passim. Non ergo locum habet gratia qvædam discretiva, per qvam nonnulli homines probationi relinqvantur libertate arbitrii gaudentes. Qvod enim in viribus nostris non est, nec in eo probatio qvædam institui potest. (6) Obest etiam sententiæ huic de semiprædestinatione Latitudinaria præscientia illa DEI, secundum qvam expresse dicimur electi *Rom. VIII, 28. sqq.* Non ergo dici poterit, qvod aliqvod genus hominum probationi à DEO relinqvatur. (7) Qvia injuria sententia hæc est in universalem illam DEI gratiam erga omnes omnino homines, qvam tam serio, imo & juramento contestatam fecit, *I. Tim. II, 4. Ezech. XXXIII, 11. &c.* (8) Qvæ omnia ex impurissimis passim fontibus sunt desumta; Qvædam enim fluunt ex Pelagianismo, & Arminianismo, alia ex Calvinismo, alia qvoqve ex Papismo. Sic namque & *Ambrosium Catharinum* eandem ferme sententiam jam suo tempore effinxisse testatur *Petr. Svavis Polan. in Histor. Concil. Trid. l. 2. p. m. 188. nempe DEum pro sua bonitate è cœtu hominum pauciss. aliqvot delegisse, quos omnino salvare decreverit, eoque mediis potentissimis, efficacissimis, quæq; fallere non possint instruxerit. Ceteros omnes velle qvidem salvos fieri, atque huic fini media omnibus sufficientia præparasse; sed penes ipsos relictum, ea vel accipiendo salvari, vel rejiciendo damnari. Hos vero duorum esse generum, alios, qvi ea recipiant, & salvi fiant, licet ex electis non sint, eorumque magnum esse numerum, alios, qvi abnuant cooperari DEO, qui eos salvos cupiat, proindeque damnentur. Causam Prædestinationis primorum esse solam divinam voluntatem, aliorum acceptionem usumque auxilii divini, & cooperationem eidem à DEO præviſam; causam vero reprobationis ultimorum præviſam à DEO perversam ipsorum voluntatem, in repudiando DEI auxilio, aut eodem male utenda. &c.* Qvæ omnia nunc ausu plane temerario ac infelici conciliantur. Cum tamen tenebræ cum vera luce plane irreconciliabiles sunt.

§. III.

§. III. Non habent Adversarii qvod hic *objiciant*, nisi id unicum ferme, qvod putent, per hanc hypothesin omnia dicta, qvæ alias utrinqve & pro Gratiæ efficacia, & pro Libero arbitrio adducuntur, optime conciliari posse. Atqve sic etiam dissensum illum inter Calvinianos & Arminianos posse tolli. *Resp.* (1) Argumenta utriusqve partis generalia sunt, nec subjecta discriminantur. Si itaqve temperamento qvodam opus est, id respectu subjectorum tentare oporteret. (2) Sententia hæc, qvæ ad errores evitandos inventa, & duo contraria contrariarum sectarum postulata temperare debuit, infelici Syncretismo luxurians ex uno geminum errorem obtrudit, & qvæ alii singula peccant, utraqve combinat, ut ex modo jam adductis argumentis nostris satis videre est. Ut adeo hac ratione tenebræ sive etiam secum invicem concilientur, nihilominus tamen, tenebricoso omnia fiant ausu. Disp. XIV.

Qv. III.

NUM DEUS HOMINES SALVOS VELIT VOLUNTATE SALTEM GENERALI, NON PARTICULARI & PROPTEREA NON OMNES SALVENTUR?

§. I.

DOgma hoc est *Malebranchii*, qvod proposuit in libello suo sub titulo: *Traite de la Nature & de la Grace Discurs. 1. part. 2. n. 38. sqq. p. m. 65. sqq.* Nituntur autem omnia hypothesi illa de *causis occasionalibus*, qvam jam supra *cap.* 2. examinavimus. Atqve sic putat, qvod non omnes salventur, & gratia qvibusdam frustra detur, hoc uno solvi posse axiomate, qvod DEus non velit sanctificare homines *voluntate particulari*, seu *speciali*, qvam etiam *irresistibilem* vocat; licet generali omnes salvos velit, Christum exemplum dedisse resistendo voluptatibus & superbiæ, mortuum esse pro omnibus etiam pro perituris, *I. Cor. VIII, 11.* perire autem homines, qvi gratiæ se non accommodant, nec occasiones peccandi vel amore sui, vel metu inferni evitant, neqve impedimenta salutis removent; sed ad eam

nullo labore perventuros se esse putant, non minus stulti, qvam qvi fruges ex agro expectant, qvem non coluerunt. Addit tamen merita naturalia non esse causam gratiæ non magis qvam pluviæ causa est labor agricolæ; sed dari gratiam secundum regulas, qvemadmodum pluviam ex generali lege naturæ. Ut adeo *Malebranche* putet, DEum non aliter agere in regno gratiæ, qvam in regno naturæ. Opposuit sese *Malebranchio Ant. Arnaldus dans reflexions Philosophiqves & Theologiqves sur le noveau systeme de la nature & de la Grace lib., 1. cap. 1.*

§. II. Prænotamus nos (1) Sermonem esse de *Voluntate DEI Universali* non saltem qvoad *affectum*; sed & qvoad *effectum*, ita ut juxta *Malebranchium* DEus in regno gratiæ æqve ut in regno naturæ concurrat nonnisi generaliter ac indeterminate sine concursu qvodam specialiori, & homo ad voluntatem hanc universalem ut causa qvædam occasionalis accommodare sese debeat. (2) Sermonem esse *Malebranchio* non de accommodatione qvadam qvæ fit per *specialem* qvandam Spiritus S. gratiam; sed de accommodatione, qvæ fit *sine speciali & particulari* qvodam DEI influxu. (3) Sermonem nobis esse de voluntate DEI *particulari* non semper ratione actus, sic enim lubenter concedimus, non omnes homines actu ipso sanctificari ac salvari; sed sermonem nobis esse de voluntatis hujus *propensione*. (4) Sermonem esse de voluntatis hujus *propensione* non *absoluta*; sed *ordinata* ad certa media scl. Atqve sic qværi: *annon DEus particulariter qvoqve omnibus media salutis dare velit, ut per ea converti ac sanctificari possint: Num vero homines propterea non salventur, quia voluntate hac particulari sanctificare eos nolit.* Qvibus prænotatis dicimus (1) *Voluntas & operatio Dei in regno Gratiæ non est ita universalis, ut non etiam particulariter & specialiter agat.* Prob. (1) Qvia operatio gratiæ omnino etiam per influxum specialem & particularem ubivis in toto S. Codice describitur. Sic namqve dicitur DEus nos trahere *Joh. VI, 44.* operatur in nobis & velle & perficere *Phil. II, 13.* Spiritus S. in nobis testatur, nos agit, nos orare facit *Rom. VIII, 14. 15. 16.* Sine eo Christum non possumus vocare Dominum *I. Cor. XII, 3.* Pater specialiter nobis qvædam revelat *Matth. XVI, 17.* Unde & specialiter fructuum Spiritus

ritus fit mentio *Gal. V, 22.* qvi opponuntur operibus carnis, qvorum mentio facta præced. *v. 19.* Ut plura istiusmodi alia taceamus. Cum nunc ergo speciales hi sint effectus, & individuationes actuum DEO competentes, omnino & specialis qvidam hic erit ejus influxus, & causalitas non mere universalis. (2) Qvia si DEus hic ageret ut causa universalis, seqveretur, qvod ab alia qvadam causa determinari deberet ad certum & specialem effectum, qvemadmodum alias in concursu *causæ universalis & particularis* fieri solet. Qvalis v. determinatio hic non est, cum in qvibusdam præsertim in Conversionis Opere Spiritus S. plane *solitarie* agat. Vide Systemata passim. Dicimus (II) *Homo sine speciali qvadam DEI gratia ad Universalem qvandam gratiam acommodare se neqvit instar causæ occasionalis.* Prob. (1) Qvia homo in Spiritualibus plane nullas proprias habet vires, nullam idoneitatem *2. Corinth. III, 5.* sine DEO nihil possumus *Joh. XV, 5.* sine Spiritu S. Christum non possumus vocare Dominum *1. Cor. XIII. 3.* Caro nihil nobis revelat *Matth. XVI, 12.* Naturalis homo plane non percipit qvæ sunt Spiritus *1. Cor. II, 14.* mortui sumus in peccato *Ephes. II, 5. c. V, 14.* Qvi ergo hic homo sine Speciali qvadam gratia se accommodare poterit? (2) Qvia unice & solitarie omnia habemus à DEO, ut ex modo jam dictis constat. Non ergo homo sese accommodare poterit; nisi in Pelagianismum velis incidere, qvi reapse in hypothesi hac Malebranchiana latet, ut ex adductis similibus de pluvia passim videre est. Dicimus (III) *Gratiam particularem & specialem, licet actu non omnibus DEus det, ut actu omnes sanctificentur, & salvi fiant, dare tamen omnibus vult, modo non malitiose resisterent.* Prob. (1) Qvia universalis illa DEI gratia ordinata est ad media, per qvæ homo specialiter converti, sanctificari & ad salutem perduci posset. Et hæc media DEus omnibus offert, omnibusqve dare vult *1. Tim. II, 4. 2. Petr. III, 9. &c.* (2) Qvia sine particulari gratia nemo potest salvus fieri, ut ex modo jam probatis constat. Si ergo efficaciter DEus vult omnium hominum salutem, gratiam hanc particularem debet dare velle omnibus, modo eam omnes accipere vellent. Dicimus (IV) *Falsum ergo est hoc Axioma, DEum non velle sanctificare homines voluntate particulari,*

indeqve esse qvod non omnes salventur. Prob. (1) Qvia utiq; & voluntate particulari ac speciali vellet sanctificare homines, modo ipsi non tam malitiose resisterent *Jes. LXV, 2. Matth. XXIII, 37. Act. VII, 51. &c.* (2) Qvia causa damnationis antecedens non in DEO, qvi eam non vult *Ezech. XXXIII, 11.* sed in ipso homine, est qværenda *Hos. XIII, 9. Matth. XXIII, 37.* (3) Qvia alias homo excusationis rationem haberet, qvam tamen non habet *Rom. II, 1. sqq.*

§. III. *Objicit. (I)* si voluntas particularis tribuatur DEO, responderi non posse, cur alicui v. g. tres gradus gratiæ dentur, non dato etiam qvarto, qvi ad salvandum reqviratur. *Resp.* (1) Qvod si etiam hic ratio nulla dari posset, qvid inde? exclamandum hic esset cum Paulo: Ω βάθη, *Rom. XI, 33.* (2) Ratio qvædam tamen nihilominus hic dari potest, & hæc est qvod DEus nemini gratiam suam deneget, nisi resistenti malitiose *Rom. II, 4. 5. Objic. (II)* Liberari DEum hac ratione ab omni culpa, si saltem generalis causa ipsi adscribatur, nec minus sanctum esse in rejiciendis, qvam salvandis hominibus. *Resp.* (1) Non ab omni culpa hic liberabitur DEus, omnino enim illa culpa redundabit in DEUM, qvod particularem gratiam nolit dare, utpote cujus defectus pro causa damnationis expresse allegatur à *Malebranchio.* (2) Et qvod si etiam à culpa liberari DEus posset, ne sic tamen hypothesis salva foret, cum Pelagianismus adhuc resideat in sinu. *Objicit. (III)* DEum in regno naturæ agere saltem generaliter. E. & sic in regno Gratiæ. *Resp.* A regno naturæ ad regnum gratiæ N. V. C. Nam in regno naturæ creaturæ & ex suis viribus agunt, qvibus autem homo in Spiritualibus penitus destituitur. *Objic. (IV)* Voluntatem particularem & specialem esse irresistibilem, & sic omnes homines salvos fore, si eâ DEus ageret. *Resp.* Omnem voluntatem specialem esse irresistibilem negamus & pernegamus, imprimis cum DEus hic non agat ex potentia sua absoluta; sed ordinata. *Objic. (V)* Qvia aliqvi homines donis gratiæ abutentes pejores fiunt, liqvido apparere, qvod gratia non detur voluntate speciali, alias in DEum culpam abusus & peccati recidere. *Resp.* Neg. Conseqv. Pater Filium suum immorigerum & beneficiis corri-

gere

gere ſtudet, qvibus autem cum Filius abutitur, numne hic qvoqve Pater culpæ alicujus reus erit? Ita & DEus hic agit. Dubiumqve Malebranchii jam Paulus ſufficienter ſatis ſolvit. Rom. II, 4. 5.

Qv. IV.

NUM ELECTIO RESPICIAT BONUM ALIQVOD IN HOMINE?

§. I.

Recte qvidem *Petr. Chauvin* de *Natural. Relig. Part. 2. c. 12. p. m. 136.* rejicit & reprehendit eos, qvi dicunt, Electionem in puro DEI beneplacito ſitam eſſe, omnibus de cetero ut corruptis conſideratis. Mox autem minus caute pergit, inqviens: *Illa eſt proprie electio, qvæ fertur in objecta, qvibus aliqvid boni inest, dum reliqva utpote minus utilia reſpuuntur, vel ſaltem in anteceſſoribus præivit, qvod in cauſa eſt cur benedictiones Patrum in degeneres liberos derivantur &c.* Et hæc refutat *Dn. D. Buddeus in Diſp. inaug. c. 3. §. 18.*

§. II. Prænotamus nos (1) non eſſe ſermonem de Prædeſtinatione qvadam *abſoluta*, qvam, & rectiſſime qvidem, impugnat *Chauvin*; ſed de *conditionata* (2) ſermonem eſſe non de *Bono* qvodam *alieno* in nobis, qvod eſt meritum Chriſti fide apprehenſum; ſed *proprio noſtro*. Qvibus prænotatis Dicimus: *Electio non reſpicit bonum aliqvod proprium in homine.* Prob. (1) Qvia in homine, ejusqve natura fine Chriſto nihil boni eſt, *Pſ. XIV, 3. Rom. III, 12. &c.* (2) Qvia electio eſt ex mera gratia, non ergo ex operibus *Rom. XI, 6.* (3) Qvia unice in Chriſto ſumus electi *Eph. I, 4.* E. intuitu ſolius Chriſti fide apprehenſi electio facta eſt, & non intuitu alicujus boni qvod in nobis ſit. (4) Qvia contraria ſententia *Chauvini* & Pelagianiſmo favet ac Papiſmo dudum ex Eccleſia Orthodoxa exploſo, inde etiam, qvod *Chauvinus* nullibi hic meriti Chriſti mentionem faciat, cui tamen unice electionem noſtram debemus.

§. III. *Objic.*

§. III. *Objic. (I)* Judæos electos fuisse ob pietatem Abrahami, Isaaci & Jacobi *Rom. XI, 28. Resp.* Paulus hoc vult, certum esse, omnes qvidem Judæos, qvi necdum credunt, inimicos esse Christianorum, ideoqve si secundum fidem Evangelicam considerantur, qvam in præsentia oppugnabant, non alio nomine esse notandos, si vero consideremus eos, qvi electi sunt ob fidem vel præsentem, vel futuram, dilectos esse DEI, qvi propter fœdus cum Patribus illorum initum eorum misereatur. Vide *B. Dn. D. Schomer. in Exegef. in h. l.* Propter Christum ergo omnia sunt, non propter bonum aliqvod in ipsis. *Objic. (II)* Electionem proprie esse, qvæ fertur in objecta, in qvibus aliqvid boni est. *Resp.* Bonum illud, qvod DEus respexit in Electione, ut impulsivum & movens unice est meritum Christi ab homine fide apprehensum, adeoqve homini non est proprium, qvod DEus respexit, qvod tamen Chauvin urget, qvi de Christo hic nihil vult scire, &c.

TANTUM HAC VICE.



gere ſtudet, qvibus autem cum Filius abutitur, numne hic q
Pater culpæ alicujus reus erit? Ita & DEus hic agit. Du
Malebranchii jam Paulus ſufficienter ſatis ſolvit. Rom. II,

Qv. IV.

NUM ELECTIO RESPICIAT BONUM IN HOMINE?

§. I.

Recte qvidem *Petr. Chauvin* de *Natura* *c. 12. p. m. 136.* rejicit & reprehendit eos, q onem in puro DEI beneplacito ſitam eſſe, om ut corruptis conſideratis. Mox autem mi , inqviens: *Illa eſt proprie electio, qvæ fertur in obj vid boni in- eſt, dum reliqva utpote minus utilia* ſaltem in an- *teceſſoribus præivit, qvod in cauſa e nes Patrum in degeneres liberos derivantur &c.* n. D. Buddeus in *Diſp. inaug. c. 3. §. 18.*

§. II. Prænotamus nos monem de Prædeſtinatione qvadam *abſoluta*, qv qvidem, impugnat *Chauvin*; ſed de *conditionat* eſſe non de *Bono* qvodam *alieno* in nobis, qvo hriſti fide apprehenſum; ſed *proprio noſtro*. Qvib cimus: *Electio non reſpicit bonum aliqvod proprium* rob. (1) Qvia in homine, ejusqve natura fine Chri *Pſ. XIV, 3. Rom. III, 12. &c.* (2) Qvia electio eſt e on ergo ex operibus *Rom. XI, 6.* (3) Qvia unice in C ti *Eph. I, 4.* E. intuitu ſolius Chriſti fide appreh a eſt, & non intuitu alicujus boni qvod in nobis ſit traria ſententia *Chauvini* & Pelagianiſmo favet ac ex Eccleſia Orthodoxa exploſo, inde etiam, qvod i hic meriti Chriſti mentionem faciat, cui tamen u oſtram debemus.

§. III. *Objic.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn185775302X/phys_0221
DFG